# DE USU CONJUNCTIVI ET OPTATIVI IN ENUNTIATIS LYRICORUM GRAECORUM SECUNDARIIS

## DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
CONSENSU ATQUE AUCTORITATE

IN

**ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE BASILIENSI**

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

**J. SCHAUB**

LIESTAL
EX OFFICINA FRATR. LUEDIN
MDCCCLXXXIX

# DE USU CONJUNCTIVI ET OPTATIVI IN ENUNTIATIS LYRICORUM GRAECORUM SECUNDARIIS

## DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
CONSENSU ATQUE AUCTORITATE

IN

**ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE BASILIENSI**

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

J. SCHAUB

LIESTAL
EX OFFICINA FRATR. LUEDIN
MDCCCLXXXIX

# Qualis sit usus conjunctivi et optativi in enuntiatis secundariis apud poetas lyricos Graecos.

Quaerere meum est qualis sit conjunctivi et optativi usus in poetarum lyricorum enuntiatis secundariis. Poetarum enim epicorum usum dicendi alii perscrutati sunt,[1] item tragicorum;[2] restat igitur ut diligenter describatur et illustretur quomodo res se habeat apud poetas lyricos, quam rem nec facilem nec ita gratam propter condicionem minime integram operum lyricorum quae ad nos pervenerunt, ego suscipere conatus sum. Qua in re tractanda propositum mihi est id agere ut ratio pateat quae intercedit non tam inter Homerum et eos poetas qui ad ejus dicendi usum prope accedunt, sed potius ipsos inter poetas lyricos prioris et posterioris aetatis. In censum hic veniunt praeter poetas antho-

---

[1]) P. Witting: de usu conjunctivi et optativi in enuntiationibus secundariis apud epicos Graecos. (Halle 1867.)

[2]) L. Tachau: de enuntiatorum finalium apud Euripidem ratione atque usu (Göttingen 1880). — Ph. Weber: Entwicklungsgeschichte der Absichtssätze (Würzburg 1884). — P. Taegel: de enuntiatorum relat. tempor. final. usu ac ratione in fabulis Sophocleis (particula I Breslau 1878),

logiae lyricae[1]) etiam bucolici,[2]) nec non poetae lyrici qui proprie Alexandrini dicuntur in quibus inprimis Callimachus. Praeterea attuli si quid ex epigrammatis a Kaibelio collectis huc pertinet. Eos qui post Moschum floruerunt, adhibere nolui ob degenerem ipsius dictionis rationem ac formam, et quod vitiis, si ita dicere licet, in modorum structura fere iisdem inter se obnoxii sunt. Omisi etiam ea quae falso Phocylidis et Anacreontis nomine (Anacreontea quae dicuntur) circumferuntur quippe quae carmina posterioris sint aetatis; omisi etiam Pindarum, principem poetarum lyricorum cum de ejus usu modorum propria ac singularis dissertatio scripta sit.[3])

Jam hos poetas perlustrantes videmus plurimos eorum parvam tantummodo partem operum reliquisse et siquid omnino ex iis antiquissimis poetis ad nos pervenerit, id persaepe temporis invidia valde corruptum vel lacunarum plenum ad nos pervenisse. Etiamsi porro poetae alicujus ut Theognidis non parvus versuum numerus nobis servatus esse videtur, tamen etiam in his persaepe conexum et perpetuitatem sermonis requirimus, quin etiam ordinem plane turbatum esse intellegimus, aliorum poetarum sententiis insertis, ita ut non semper quid cujusque sit certo distinguere possis. Videmus igitur fieri non posse ut de uniuscujusque poetae in usurpandis modis ratione singulari dicamus; in universum ac generatim et summa cum modestia de his agendum erit.

Quibus praemissis nos ad singula vertamus; primum enim de enuntiatis temporalibus agere mihi in animo est.

---

[1]) poetae lyrici Graeci: ed. Th. Bergk (ed. IV).

[2]) bucolicorum Graecorum Theocriti, Bionis, Moschi reliquiae, accedentibus incertorum idylliis: ed. H. L. Ahrens.

[3]) analecta Pindarica I (de modorum subjectivorum usu Pindarico) ed. B. Breyer (Breslau 1880).

# I.

# De enuntiatis temporalibus.

## A. de conjunctivo.

In tractandis enuntiatis secundariis eam disputationis viam ingressus sum ut primum conjunctivi, tum optativi usum exponerem. Sed priusquam ad singula transeo, primum breviter adumbrem necesse est quam vim et naturam conjunctivus habeat, et liceat mihi de hoc modo afferre quae Delbrueckius [1]) vir doctus dicit, cujus sententia optime conjunctivi et optativi provinciam circumscribit.

Der Grundbegriff ist für den Conjunktiv der Wille, für den Optativ der Wunsch (Syntakt. Forschg. pag. 13).

Der Wunsch ist eine Begehrung, mit welcher nicht die Voraussicht verknüpft zu sein braucht, dass der Begehrende den Gegenstand seiner Begehrung erreichen werde. Dagegen der Wille ist eine Begehrung mit der Voraussicht des Erreichens. Man will nur das, was man erreichen zu können glaubt (Forschg. pag 16).

Qua sententia si utimur in explicandis enuntiatis temporalibus, invenitur conjunctivus judicium et exspectationem exprimens, ea quae cogitentur eventura esse. Nunquam fere neque conjunctivus neque optativus rem

---

[1]) Syntaktische Forschungen von Delbrück und Windisch: 1. Der Gebrauch des Conjunktiv und Optativ im Sanskrit und Griechischen (Halle 1871).

praeterito tempore factam significat, sed ad futuras tantum res refertur. Jam cum id solum exspectare possimus quod instat, in enuntiato primario praesens vel futurum vel simile tempus ut imperativus suo erit loco. Quae lex apud lyricos nunquam violatur si excipimus locum dubium Jon. $1,_7$ (pag. 25); nam Theogn. 498 ei non repugnat cum aoristus gnomicus qui dicitur officio fungatur temporis primarii. Apud Homerum vero eam nondum tam certis finibus circumscriptam videmus; cf. Ξ 522 ubi conjunctivum ὄρσῃ legimus quamquam de re agitur praeterita (cf. etiam Ω 586 ubi in enuntiato finali quod pendet ex tempore secundario, una et optativos et conjunctivum habemus, nulla notionis diversitate intercedente). Quod ad conjunctivum ipsum attinet, cum nonnunquam alicujus momenti sit ad explicandos vel emendandos locos, jam hic monendum puto aliquid interesse inter conjunctivum praesentis et aoristi; habemus enim jam apud Homerum conj. praesentis, si actiones utriusque enuntiati, et primarii et secundarii, uno eodemque tempore fiunt, per idem tempus manent, inter se quasi comitantur, ita tamen ut prius fieri incipiat actio enuntiati temporalis (cf. λ 17). Sin autem actio enuntiati primarii incipit postquam actio enuntiati secundarii praeterita est, in enuntiato temporali conjunctivum aoristi habemus. Hoc quidem dicamus necesse est, de tempore proprie nihil interesse inter conjunctivum (vel optativum) praesentis et aoristi. Vis enim praeteriti temporis significatur augmento quo conjunctivus caret. Sed cum usurpetur indicativus aoristi ad res significandas quae modo acciderunt, non permanent, et vim quam grammatici dicunt, ingressivam habeat, factum est in enuntiatis condicionalem vim habentibus quorum plurima sunt enuntiata temporalia et relativa, ut indicativus aor. vim suam transtulerit in conjun-

ctivum aoristi ut hic latine persaepe verti possit per futurum exactum [1]) (cf. I 501).

Quod ad vim et usum particularum temporalium attinet, duo genera distingui possunt. Aut enim actio enuntiati temporalis praecedit actionem primarii ejusque quasi fundamentum est ut recte dicit Breyer, cui rationi significandae inserviunt conjunctiones ὅτε, ὁπότε, ἐπεί, εὖτε, ὅταν rel.; aut actio enuntiati secundarii eodem fit tempore atque primarii vel etiam postea ut per enuntiatum temporale finis actionis designetur enuntiati primarii (ἕως, ὄφρα, ἔστε, ἄχρις).

Longum est hoc loco exponere quae viri docti ut Curtius (Grundzüge der griech. Etymologie) alii de origine uniuscujusque particularum quae nunc vel ad temporalem vel ad finalem rationem exprimendam usurpantur, disseruerunt qui demonstraverunt, fere omnes fuisse casus obsoletos stirpium pronominalium quorum propria vis temporali vel finali notioni cesserit.[2]) — Sed jam ad singula transeamus et primum eos locos perlustremus ubi simplex conjunctivus, qui particula ἄν vel κὲ caret, usurpatur et initium faciamus ab iis conjunctionibus quae sunt usitatissimae, dico ὅτε et ὁπότε. Sed cum leges syntacticae intellegi non possint nisi intellecto usu dicendi Homerico, primum exponamus qualis sit usus conjunctivi cum ὅτε, ὁπότε, εὖτε, ἐπεί conjuncti in carminibus Homeri; qui poeta bis et quinquagies particulam ἄν vel κὲ addit, ter et tricies eam omittit. Aliter res se habet apud lyricos qui pro locorum numero multo saepius (duodeseptuagies) particulam usurpant, semel et vicies eam omittunt. Omitti ea solet si agitur de re non singulari, si ita dicit scriptor ut a singulis abstineat,

**de conjunctivo, qui particula ἄν caret.**

---

[1]) Krüger: griech. Sprachlehre II. § 53. 6. 5.

[2]) Delbrück u. Windisch: Syntakt. Forschg. I, pag. 53, 56, 57.

ubi in enuntiato primario tempus praesens neque vero futurum praecedere solet (cf. Delbr. pag. 85/86).

ὅτε, ὁπότε.

Conjunctionibus ὅτε et ὁπότε [1]) duo potissimum poetae inter lyricos usi esse videntur, Theognis et Callimachus, apud quos undecies inveniuntur, semel vel bis apud bucolicos et ter vel quater apud reliquos lyricos. Illius aetatis quae aurea dicitur scriptores Attici, pedestris certe orationis, his conjunctionibus ἄν addere solebant. Callimachus igitur qui sexies iis particula carentibus usus est, in hac re imitatorem antiquioris usus se praebet.

Primus locus ubi ὅτε cum conjunctivo conjunctum invenimus est apud Alcmanem 34,₂ et jam hic locus magnam difficultatem movet. Enuntiatum enim primarium aoristi indicativum exhibet qui ut supra (pag. 6) vidimus, a talibus sententiis alienus est. Non id quidem me fugit, nonnumquam aoristum qui gnomicus dicitur, praesentis loco poni; sed cum ne constet quidem inter viros doctos de qua re in hoc fragmento sermo sit, pluribus verbis disserere nolo de hac si qua est exceptione regulae (sed cf. Ξ 522 et quae diximus pag. 6).

Apud Solonem $27,_{3}$ et $_{17}$ codices praebent ind. fut., quem cum hic non suo sit loco, recte Schaeferus in conj. aor. correxit, item Bergkius. Neque enim certo affirmari potest, ullum hominem assecuturum esse aetatem septuaginta annorum (v. 17). Tali in re quae solum fieri potest, quam certo futuram esse nemo est qui affirmet, conjunctivus, non futurum usurpatur. Porro conjunctivus aor. bene hic quadrat ad nexum sententiarum.

---

[1]) „ὅτε ist von ὁπότε nur durch den Zusatz des indefiniten Stammes πο verschieden" (Delbr. pag. 57).

Facile etiam explicari potest quomodo factum sit, ut recentiores librarii pro τελέσῃ futurum τελέσει praebent, ex mutata pronuntiatione vocalis ῃ [1]) quae inde a quarto medio a. Ch. n. saeculo usque ad primum magis magisque dicendi usu recepta est; id quod cognoscimus ex mutata scribendi ratione, cum in Atticis inscriptionibus inde ab anno trecentesimo semper fere pro ῃ scriptum habeamus ει, ut ἀγαθεῖ τύχει pro ἀγαθῇ τύχῃ, εἰρέθη pro ᾑρέθη. Similis est locus Theogn. 232 ubi item deteriores codices futurum praebent, optimi illi quidem AO recte conj. aor. Sed aliam hic locus difficultatem movet. Apud Solonem enim $13_{,76}$ ex quo noster locus in Theognidis elegos irrepsisse videtur, ὁπόταν legitur. Nemo non intelleget locos plane similes esse, quin etiam unum esse eundemque locum, id quod non est mirum cum quae sub Theognidis nomine ad nos pervenerint, non omnia ejusdem poetae esse, jam alii intellexerint. Sed tamen mihi quidem Theognidis versus propius ad antiquam lectionem accedere videtur quam ille quamvis vetustior Solonis qui a librario in normam Atticam redactus esse videtur.

Etiam Theogn. 531 non omni difficultate vacat; codices enim habent:

αἰεί μοι φίλον ἦτορ ἰαίνεται, ὁππότ᾽ ἀκούσω
αὐλῶν φθεγγομένων ἱμερόεσσαν ὄπα.

Quaeritur quaenam forma sit ἀκούσω, futurum an conj. aor. Primum monendum est, nusquam apud Theognidem

[1]) cf. Meisterhans: Grammatik der attischen Inschriften, qui dicit pag. 18: Seit 380 ist vielfach und seit 300 vorwiegend EI geschrieben statt HI (ῃ). Aber im ersten Jahrhundert wird ηι wieder häufiger als ει. Die Schreibung der Kaiserzeit ist wieder HI oder H.; cf. τύχει C.I.A. II $167_{,10}$ (IV. saec.) ἀνείπει C.I.A. II $614_{,21}$ (III. saec.); ἐάν τις ἀδικεῖ C.I.A. 811 c. 154 (Meisterh. pag. 75).

ὅτε vel ὁπότε cum futuro conjungi,[1] deinde futurum ipsum mihi hic non suo loco esse videtur. Neque enim qui sonos illos auscultabit, gaudio afficitur sed qui auscultat. Neque vero ad regulam illam quam pag. 6 posui de usu conjunctivi praesentis et aoristi quadrat, si hanc formam conjunctivum aor. legimus qui est pro futuro exacto (cf. Krüger: Griech. Sprachlehre $53_{,6,5}$). Hanc quidem regulam Breyer (pag. 22) artis finibus includit et eam refert solum ad conjunctivos quibus ἄν additum sit (ὅταν, ὁπόταν). Sed causam cur hoc fiat, nullam attulit neque intellego, cur illa regula valeat in conjunctione ὅταν, neque vero in ὅτε, et quomodo particula ἄν alicujus momenti sit ad praeferendum vel praesentis vel aoristi conjunctivum. Nisi igitur dicendum erit, poetas non tam diligenter illam legem observavisse, nostro loco conj. praes. ἀκούω scribere velim. Quam sententiam firmare videtur distichon quod insequitur; arcte enim hoc si sententiae rationem ducimus, cohaerere puto cum proximo et item participia praesentis χαίρω ἐμπίνων, ἀείδων exhibet. In priore disticho poeta de se ut auscultante loquitur, in altero de se ut participe artis musicae cantusque. Non igitur cum Bergkio facere possum qui versus 533—4 a proximis 531—2 separavit. — Bene se habet Theogn. 694, ubi praesens enuntiati primarii sequitur conjunctivus praes.; ἄν apud Atticos hoc loco non deficeret neque v. 751 ubi item conj. praes. suo est loco. Enuntiatum primarium hic interrogationem quae optativo fit, continet; in enuntiato temporali deteriores codices indicativum praebent, sed recte optimi illi AK conjunctivum. — Apud Theogn. 466 oritur quaestio, utrum ὅτ' conjunctio

[1]) cum indicativo conjunctae usurpantur de re jam facta. (cf. Breyer pag. 21/22 et pag. 39 hujus dissert.)

temporalis ὅτε putanda sit an pronomen relativum ὅ τε (nam de pronomine ὅ, τι propter elisionem cogitari non potest), quod pronomen ὅστε interdum pro simplici ὅς apud poetas usurpatur. Primus Hermannus quem Bergkius secutus est, ita ὅ, τ' scripsit. Quaeri potest quomodo res dijudicanda sit. Sed pluribus de hac re ambigere nolim cum ad sententiam nihil referat quomodo scribatur. Equidem nullam causam video quin quod vulgo traditur ὅτ' pro ὅτε (cum) accipiatur. — ὅτε et conjunctivus simplex invenitur praeterea in fragmento Philetae $1_{,1}$.

Jam transeamus ad Callimachum cui valde in deliciis fuisse videtur talis post ὅτε et εὖτε usus conjunctivi. Apud Callim. $2_{,28}$ codices quidem non conj. praebent, sed ὅ τι ἀείδει. Quo in loco ex variis conjecturis eam sequor quam Schneiderus protulit, Callimachi operum editor: ὅτε ἀείδῃ, qui conjunctivus praes. (ut de re duranti) futurum enuntiati primarii excipit. Similis locus, ubi praesens praecedit, est in frg. 67. Conjunctivum aor. cum ὁππότε conjunctum post praesens enuntiati primarii habemus $2_{,21}$; conj. aor. praeterea $4_{,229}$ correpta vocali. Ut multa alia, ita etiam vocalium correptio quae tam saepe in Homeri conjunctivis fit, ad posterioris temporis poetas propagata est, et Callimachus etiam in hac re Homeri imitatorem se praebet. Ceterum bene se habet hoc loco conjunctivus aor. (finita venatione canis illa assidet; inest igitur huic conjunctivo aor. notio praeteriti). Eandem vim invenimus etiam $4_{,234}$ ubi apparet, futurum quod traditur non suo loco et conjunctivum aor. scribendum esse ut Schneiderus fecit. — Jam restat unus locus Callimacheus $5_{,101}$ (ὅκα μή c. conj. aor.) quem construendi ratione ab Homerico usu recedere dicit Witting. (pag. 30) qui de hoc loco fusius disputans dicit: „Ex ipsa loci sententia affatim apparet, sumptio-

nem eam esse quae nullo pacto eventura exspectetur." Ceterum recte monet, conjunctivum cum particulis ὅτε μή conjunctum ab Homeri ratione dicendi prorsus alienum esse. Itaque nostro loco optativum ex Homeri canone expectaremus (habemus tales constructiones apud Homerum N 319, π 197 ubi sermo non est de re quae exspectari possit, sed e cogitatione solum profecta est ejus qui loquitur; fingitur aliquid idque tale quod eventurum esse ne credibile quidem sit; recte igitur optativi usurpantur).

Ad bucolicos transeuntes semel in tanto versuum numero (si excipimus locum dubium Theocr. $5_{,98}$), non id quidem in carmine hexametrico, apud Theocritum [1]) $23_{,8}$ in codicibus ὅκα cum conj. conjunctum invenimus; id quod sane dubitationem movere possit de tradita lectione. Accedit altera causa cur cum Ahrensio conjunctivum in indicativum mutare velim. Etenim negatio inter ὅτε et conjunctivum posita ubique est μή. Quum igitur nostro loco non μή, sed οὐκ habeamus, apparet Theocritum nullam vim condicionalem huic enuntiato subicere voluisse et hac de causa conjunctivum qui hic non suo sit loco et falso per librarium in textum pervenerit, invitis Fritzschio et Hillero [2]) in indicativum mutandum puto. Quamquam non me fugit inveniri locos ubi οὐκ et ἐθέλω in unam quasi notionem sc. vetandi coalescant ut negatio οὐκ talibus in enuntiatis nihil offendat cf. Thuc. $3_{,55}$ et. Jl. Δ 300. Facile explicari potest quomodo conjunctivus scribi potuerit, sc. ex proximo conjunctivo θέλῃς (post ὅταν). Diversitas quaedam notionis inter haec enuntiata temporalia quorum alterum ab ὅταν,

---

[1]) in afferendis bucolicorum locis sequor editionem Ahrensianam.

[2]) Theocrits Gedichte, erklärt von Fritzsche, Auflage 3, besorgt von E. Hiller (pag. 354).

alterum ab ὅκα (= ὅτε) incipit, inveniri non potest nisi nimiis argutiis uti velis. Duae solum contrariae actiones inter se opponuntur et mutatam constructionem neglegentiam poetae habeo quae ei non majores scrupulos injecisse videtur quam illa quae est apud Theocr. $7_{,54}$ ubi item sententiam cum ὅταν et conjunctivo instructam excipere videtur particula ὅτε cum indic. conjuncta. Accedit quod Tzetzae scholion in Crameri anecd. Oxon. III 315 item in altero enuntiato ὅκα θέλεις praebet. Sed tamen talis constructionis diversitas Ahrensio non placere videtur, cum cogitet de mutanda lectione utriusque enuntiati temporalis usurpata aeolica forma; dicit enim: fortasse vera lectio est χὤτα μὲν σὺ θέλεις et v. 8: ὅτα δ'οὐκ ἐθέλεις. Aliam quidem de hoc loco Hermannus vir doctissimus (ad Vigerum pag. 923) opinionem habet qui dicit: „illa oppositio quae est inter ὅταν θέλῃς et ὅκα δ'οὐκ ἐθέλῃς commendat etiam particulam οὐκ quae cum verbo unam notionem efficit".

Apud Theocr. $7_{,54}$ item in codice k conjunctivus traditus esse videtur cum scriptum sit ὅτε ἴσχῃ, si fides habenda est Ahrensii editioni (nihil enim de hac lectione dicit Fritzschius). Sed omnes editores indicativum scribunt et recte ut puto. Cum enim praestantissimus sit codex k, fieri potuit ut diligentissimus librarius ex proximo enuntiato temporali (v. 53) conjunctivum in alterum enuntiatum inferret studio constructionum inter se aequandarum commotus (cf. $23_{,8}$). Sed tamen unus exstat locus ubi fortasse conjunctivus scribendus erit, apud Theocr. $5_{,98}$; codices quidem fere omnes et ii optimi futurum ὁππόκα πεξῶ praebent. Sed omnes poetas lyricos in hanc rem diligenter perscrutatus nullum locum inveni ubi ὅτε vel ὁπότε cum simplici futuro conjungatur; nonnunquam praesens invenitur (cf. de hac re pag. 39 hujus dissertationis), persaepe praeteritum tempus. Id

quod sane nobis de tradita lectione dubium movere potest et Fritzschius ea de causa mutato accentu conjunctivum aor. πέξω in textum recepit. Res eo difficilior ad dijudicandum est quod hae formae nulla re inter se distant nisi accentu, de quo codicibus minima fides habenda est. Ahrensius qui ὅτε (ὅκα) cum conj. simplici conjunctum nusquam apud Theocritum admittit, futurum praefert. Sed cum illud certe in incertorum idyll. $1,_{110}$ legamus (nec non apud Callimachum), ego quoque illo loco aor. conj. scribere malim qui praecedente futuro bene hic suo loco est cum fungatur vice futuri exacti („cum totondero, tibi dabo" . . . .)

Jam restat unus locus, non is quidem apud Theocritum, sed apud Moschum $3,_{110}$ (quod carmen Ahrensius in incertorum idylliis [$1,_{110}$] posuit), ubi recte et sine dubio conjunctivus aor. cum ὁππότε πρᾶτα (= simulac) conjunctus legitur de re quae certissime eveniet, id est de morte (praecedit praesens).

εὖτε.

Conjunctio εὖτε cui Homerus particulam ἄν vel κὲ addere solet (excepto loco η 202), cum simplici conjunctivo conjuncta non invenitur nisi apud Callimachum, qui nunquam eam cum illa particula conjunxit. Quo excepto poetae lyrici particulam addunt, ita sexies ut exemplo utar, Theognis. Bis in enuntiato primario futurum habemus quod bene in enunt. temporali conjunctivus aor. sequitur (= fut. exact.): $1,_{88}$ et $5,_{129}$. Hic quidem in optimis codicibus traditur εὖ θάνῃ, spatio tribus litteris relicto ut Schneiderus monet, sed conjectura quam apud hunc legimus certissima videtur:

καὶ μόνος, εὖτε θάνῃ, πεπνυμένος εν νεκύεσσι φοιτασεῖ.

Apud Callim. $3,_{132}$ recte post praesens legimus in enunt.

secundario conjunctivum praes. Exemplum quod est in frg. 158 enuntiato primario caret. Apud bucolicos conjunctionem εὖτε non inveni nisi bis cum indicativo conjunctam: Theocr. $7_{,76}$ et Mosch. $1_{,5}$ (hoc loco cum ind. praes.).

## ἐπεί.

Quod vix apud scriptores orationis pedestris invenias, (bis solum apud Homerum praecedente aoristo gnomico qui dicitur) conjunctionem ἐπεί simplici conjunctivo additam, apud Mimnermum bis habemus: $1_{,5}$ et $12_{,4}$. In utroque loco recte praesens enuntiati primarii excipit conjunctivus aor. Priori loco Brunckius invitis libris manum emendatricem admovit, ἐπήν scribens, sed non recte. Certum enim est, senectutem aliquando adventuram esse, ἄν contra rem minus certam redderet. Item res se habet apud Mimn. $12_{,4}$ ubi item Casaubonus exempla aetatis classicae quae dicitur secutus ἐπήν commendavit.

## ἁνίκα.

Semel ἁνίκα cum conjunctivo conjunctum invenimus in incert. idyll. $5_{,31}$ ubi duo enuntiata temp. ab ἁνίκα incipiunt quorum alterum conjunctivum aor., alterum indic. praebet. Nulla prorsus est causa cur constructio variet. Fritzschius igitur Bergkium secutus [1]) etiam in altero enuntiato conjunctivum scripsit; Ahrensius contra hos versus plane et extu ejecit cum M. Hauptius eos spurios esse ostendisset. Exstat praeterea locus ubi verisimile est, conjunctionem ἁνίκα cum conj. aor. conjunctam esse, apud Callim. $3_{,170}$. Nam futurum quod traditur, hic ut Schneideri verba afferam, non aptum

[1]) Rhein. Museum IV. 222.

est. Cum igitur de correptione vocalis quae tam saepe apud Homerum fit, hic cogitari non possit, corrigendum erit in κυκλώσωνται.[1])

Conjunctionem ἦμος quam cum conj. conjunctam apud Homerum (δ 400) invenimus, ita apud lyricos non habemus.

### ὄφρα.

Transeo ad conjunctiones quae usurpantur si actio enuntiati primarii eodem fit tempore ac secundarii vel hanc antecedit; in quibus usitatissima est ὄφρα apud poetas lyricos. Cum enim ἕως nec apud hos nec apud Homerum cum simplici conj. conjunctum inveniatur, septies apud lyricos ὄφρα habemus (semel ὄφρα ἄν) et id quidem solum apud poetas prioris temporis, nunquam apud bucolicos vel Callimachum. In enunt. primario praecedit praesens vel futurum (hoc apud Theogn. 978, 1008), semel conjunct. adhortativus qui dicitur (Theogn. 984); sequitur in enunt. secundario conj. praes. aut aor.; praesentis conj. habemus, si actiones utriusque enuntiati uno eodemque tempore fiunt ubi ὄφρα reddimus per „so lange"; aor. conjunctivum, si actio enuntiati primarii antecedit actionem enuntiati sec., ubi conjunctionem reddimus per „bis"[2]) (cf. Ξ 7, Β 332; quamquam non nego

---

[1]) In Callimachi editione quam fecit Udalr. de Wilamowitz-Möllendorf (Berlin 1882) futurum servatur; tamen Call. 4,175 pro futuro quod traditur etiam Wil. recte conj. aor. scribit.

[2]) cf. Delbrück, pag. 68, ubi agit de Φ 531 (εἰς ὅ κε c. conj. aor. quod ita vertit: haltet die Thüre offen, „während" sie hereinkommen) qui primum regulam quam supra statuimus, non probavisse videtur cum dicat: Der Conjunktiv enthält so wenig etwas Perfektisches als der des Praesens. Sed postea sententiam mutavisse videtur cum inter addenda et corrigenda (pag. 268) de illo loco annotatio doctissimi viri G. Curtii inveniatur: „während" verträgt sich nicht mit der Natur des conj. aor., vielmehr: „„bis" sie kommen" (cf. quae diximus pag. 6).

etiam apud Homerum, perraro id quidem, talem post vim conjunctionis [ἐς ὅ κε = bis] conjunctivum praes. inveniri, ubi agitur de re quae finem prioris actionis significat, duranti: Λ 667, Ε 466, Ψ 244). Priorem notionem („so lange") habemus apud Tyrtaeum $10_{,28}$. Theogn. 978, 984, 1008, 1354, Simonidem Ceum $85_{,7}$ (semper cum conj. praes.); notionem alteram („bis") semel apud Mimn. $12_{,10}$, nunquam apud Homerum (nam Α 82 conjunctioni vis finalis [= „damit"] inesse videtur) qui conjunctioni particulam ἄν vel κὲν addere solet, si per „bis" eam reddimus (Delbrück pag. 85). Nonnunquam vero particula omittitur ab Homero si ὄφρα per „so lange" reddimus: Ψ 47, Λ 477. Hoc autem in loco cum in enunt. prim. antecedat aoristus, non jam agitur de re exspectata. Itaque omittitur particula quam iisdem fere verbis circumdatam habemus Χ 388 ubi futurum praecedit et persaepe alias; ut apud lyricos etiam apud Homerum semper conj. praes. habemus, cum de re duranti agatur.

Notionem „so lange" habemus etiam apud Theogn. 1143, sed in verbo codices valde discrepant. Vulgata (ζώῃ) conjunctivum praebere videtur, aliter optimi illi codices A et K quorum prior indicativum, quem Bergkius in textum recepit, alter optativum habet. Hic locus aliam praeterea difficultatem movet cum in tradita lectione prior syllaba vocis ὄφρα corripiatur quam difficultatem alii aliter evitare studebant. Non constat quomodo scribendum sit et hac de causa etiam in verbi modo non nimis confidendum est codicibus. Accedit quod nunquam alias apud lyricos conjunctionem ὄφρα quae induitur notione „so lange", cum indicativo conjunctam invenimus nisi in sententiis quae agunt de rebus praeteritis. Itaque etiam hoc loco conjunctivum scribendum puto.

Notionem „bis“ praeterea semel invenimus in conjunctione ἄχρις apud Bionem $1_{,43.\ 44}$ ubi imperativus praecedit. Constructionem plane turbatam praebet epigramma Kaibelii 115.

ὅτε ἧκε πορευθείς, — μέχρι παῖδα πατὴρ θάψῃ,

quod est epigramma temporis Romani et recte Kaibelius adnotat, „conjunctivum non convenire sententiae manifestae“.

Conj. cum ἔστε conjunctus exstare videtur in frg. Solonis $25_{,1}$; sed cum enuntiatum primarium desit, constructio non plane clara est.

πρίν.

Bis conjunctio πρίν quam septies et semper id quidem particula ἄν carentem apud Homerum habemus, cum conj. aor. simplici conjuncta invenitur, apud Simonid. Amorg. $1_{,12}$ et Theocr. $1_{,50}$. Mitto hic quae viri docti disputaverunt de differentia quae sit inter πρίν et πρὶν ἄν.[1]) Sed de illo loco monendum est, alias πρίν cum conj. conjunctum non inveniri nisi priori membro adsit significatio negandi.[2]) Et tamem hoc loco post πρίν conjunctivum habemus quamquam enuntiatum praecedit quod negationem non continet. Apud Atticos talis sententia cum πρίν et infinitivo exprimeretur et sunt perpauci loci qui sunt excipiendi (Thuc. VI. $38_{,2}$, Lys. $22_{,4}$). In altero loco (Theocr. $1_{,50}$) notandum est, particulam ἤ post πρίν additam esse quod vix apud Atticos inveneris. Et cum etiam in enuntiato prim. adverbium πρίν habeamus, Theocritus Homeri locum E 288 ante oculos habuisse videtur.

---

[1]) de qua re cf. Bäumlein: Untersuchungen über die griech. Modi und die Partikeln κὲν und ἄν (Heilbronn 1846), pag. 237—40 qui litem ita dijudicat: So wenig sich also der angebliche Unterschied zwischen εἰ und ἐάν mit Conj. bewährte, so wenig erscheint der für πρίν und πρὶν ἄν angenommene Unterschied irgend begründet.

[2]) Bäumlein pag. 225—8.

## De conjunctivo cum particulis ἄν vel κὲν conjuncto.

Absoluta quaestione de conjunctivo simplici vertamus nos ad conj. cum particulis ἄν vel κὲν conjunctum. Non meum est, vim et significationem harum particularum in singulis lyricorum locis perscutari vel omnem differentiam conjunctivorum qui cum his particulis conjuncti sunt vel eis carent, omnibus in exemplis diserte exponere. Nam omnino hoc fieri non posse puto et nonnunquam Wittingius qui de hac potissimum re epicorum enuntiata secundaria examinavit, nimio acumine usus esse mihi videtur. Tamen breviter mihi comprehendenda sunt quae viri docti de vi et significatione harum particularum protulerunt. Sed mirum quantum in his explicandis dissentiunt. Delbrueckius (Syntakt. Forschg. I 86) dicit: Wie manches auch im Einzelnen noch der Erklärung bedürftig sein mag, im Allgemeinen steht das Resultat durchaus fest: κέν beim Conjunktiv und Optativ weist auf das Eintreten der Handlung hin (cf. etiam pag. 90); et Wittingius (pag. 1) putat conjunctivum cum particulis conjunctum locum habere ubi ex praesenti rerum statu eventurum esse aliquid gravius affirmetur, conjunctivo simplici vero tantum potestatem eveniendi inesse; et Baeumleinius quem ille secutus est, dicit pag. 83: κέν und ἄν setzen die Handlung als wirklich (cf. etiam pag. 85, 208, 243). Sed quid, si alii plane contraria contendunt ut Tachau (pag. 47), qui enuntiatis finalibus apud Euripidem examinatis hanc de particulae usu regulam statuit: „consilium aliquod si magna certaque proferri potest cum fiducia, conj. finalis nudus est ponendus, ἄν etsi exstat in libris, est delendum; contra si secundum totum nexum eventus consilii

minus certe potest expectari, si tota res est incerta atque dubia, fieri non potest quin ἄν ponatur, nisi forte scriptor per circumscriptionem aliquam exprimere mavult hanc incertitudinem.“ Atque G. Hermannus [1]) docet significari per ἄν et κὲν „fortuita“ i. e. quae ex aliqua condicione pendent. Cum Hermanno faciunt etiam Krueger. (Griech. Sprachlehré II, § $69_{,7.\,1}$ et § $54_{,10.\,1}$) et Kuehner (Griech. Grammatik II pag. 169: „Ueberall, wo ἄν steht, weist es auf einen, entweder wirklich ausgedrückten oder zu ergänzenden, bedingenden Gedanken, auf eine Bedingung hin). [2])

Tali in sententiarum controversia ab ejus parte standum eique judicium de hac re tribuendum puto qui quam plurimos scriptores et poetas et auctores sermonis pedestris accurate et diligenter perscrutatus est; sed ad hanc rem dijudicandam perpauci illi loci poetarum lyricorum non multum facere possunt. Mihi quidem qui hos locos examinavi nonnulli loci inveniri posse videntur qui non quadrant ad legem grammaticam quam vel hic vel ille ex hominibus doctis statuit; et quamquam ad Hermanni potius sententiam inclino quam ad Wittingii, non omnibus in locis ubi ἄν deest quod scriptores orationis pedestris non omisissent, corrigendum puto, sed hanc potius licentiam poeticam nominare velim. [3]) Hoc tamen dici potest, saepius apud antiquos poetas particulam omitti quam apud auctores posterioris temporis qua in re etiam poetae Alexandrini exempla veterum secuti sunt. Apud nonnullas conjunctiones temporales fere nunquam ἄν omitti videmus, apud alias fere semper, prout consuetudo sermonis ferebat poetae nulla lege grammatica coacti.

---

1) G. Hermann: de particula ἄν libri IV, pag. 16.

2) cf. Tachau pag. 45/46 qui fusius de hac re disputat.

3) cf. Bäumlein: pag. 243.

Sed videamus quomodo res apud lyricos se habeat; primum autem pauca monenda sunt de forma particulae. Dorica enim forma, auctore Ahrensio,[1]) est κα, etiam in compositis, cum genuina Doris ignoret formam ἄν (ἐπείκα, ὅκκα pro ὅκα [= ὅτε] κα). Grammatici etiam κὲν Doricum esse tradunt quae forma, Theocrito familiaris, a purioribus fontibus, Ahrensio teste, aliena est. Simplex κα et compositorum ultima apud poetas semper fere producuntur (corripitur solum in forma ὅκκα apud Theocr. $4,_{21}$). Quod ad ὅκκα attinet, male putabatur a grammaticis ex ὅκα, geminata consonanti, ortum. „Nec melius", ut Ahrensii verba (pag. 383) afferam, „recentiores quidām illud ὅκκα quod ultimam corripit, pro ὅκα esse existimaverunt; nam κα in ea voce non magis geminari potest quam in τόκα. ὅκκα igitur semper est pro ὅκα κα, ὅταν.

Quod ad Aeoles attinet, Ahrensius (pag. 156) monet, nunquam ἄν usurpatum videri cum Aeolica particula sit κέ.

## ὅταν, ὁπόταν.

Primum si consideramus usum conjunctionum ὅτε et ὁπότε cum particulis conjunctarum, videmus pro ratione numeri triplo fere plura exempla inveniri ubi habeas conjunctivum cum particulis conjunctum quam his carentem (c. 43 : 14 = 3 : 1); minus saepe apud lyricos particula omittitur quam apud Homerum, ubi bis et quinquagies eam additam, ter et tricies eam omissam habemus (55 : 33 = c. 3 : 2).

Praesens tempus quod in enuntiato prim. habemus, sequitur conj. praes. apud Solonem 8, Theogn. 153. Bergkius ad hunc locum dicit: „eandem sententiam Solon (frg. 8) protulerat." Quod mihi quidem secus videtur; immo Theognidem, qui ante oculos locum illum Solonis

---

[1]) cf. Ahrens: de dialecto Dorica (pag. 382).

habebat, hoc versu illius sententiam discrepantem impugnare puto. Cum enim apud Solonem omnino insolentia et intemperantia ὄλβον vel κόρον ὄλβου sequatur, Theognis hoc solum fieri contendit in homine nequam, quam sententiam prolatam perbene ad Theognidem quadrare puto qui cum ipse in optimatium numero fuisset, patria expulsus eam in infimae plebis potestate videbat, quam plebem sibi invisam non solum omni mente et intellegentia, sed etiam omni virtute carere putabat. Cum Hartungio igitur facere non possum qui totum hoc distichon paulo mutatum Soloni vindicet.

*Praesens* praeterea habemus apud Theogn. 482, 989, Simon. Amorg. $7,_{103}$, Hipponactem $29,_{2}$, Ananium $5,_{4}$ et 6, Sapph. $3,_{3}$. Ahrensius hoc loco formam aeolicam restituere vult ὄπποτα (= ὁπότε). Forma illa aeolica invenitur etiam apud Alcaeum $39,_{4}$, si Bergkii conjecturam (ed. IV) sequimur. Apud Simonid. Ceum illam constructionem habemus $85,_{10}$; praeterea $12,_{1}$ in parabola (ὡς ὁπόταν), sed lectio non plane certa est. Apud Homerum quamquam in parabolis cum ὡς ὅτε institutis (perraro ὡς ὁπότε invenitur) plerumque conjunctivum simplicem habemus, nonnunquam ut nostro loco particula ἄν (nunquam κὲν) conjunctivo additur, sed nunquam invenitur ὡς ὁπόταν. Quod legimus apud Stesich. 36, caret enuntiato primario. Nunquam constructio illa (cum conj. praes.) usurpatur a Callimacho, saepe a bucolicis, ita apud Theocr. $1,_{82}$; $11,_{20.\ 21}$; $23,_{7}$; Mosch. $3,_{1.\ 4}$.

Conjunctivum praes. praecedente *futuro* habemus apud Theocr. $7,_{58}$; $8,_{71}$; Alexandr. Aetol. $1,_{17}$; praecedente *imperativo* apud Phocyl. 10, Theogn. 565 (infinit. pro imperat.); Theocr. $4,_{56}$. Semel in enuntiato prim. *optativum* qui votum exprimit, habemus apud Theocr. $4,_{21}$. Hoc quidem in loco omnes codices consentiunt in usurpando indicativo, sed et scholia et usus Theocriteus

desiderant conjunctivum quem recte Valckenarius primus in textum recepit. Conjunctivum praes. ex conjectura habemus apud Theocr. $17_{,42}$, praecedente optativo potentiali qui dicitur. Est igitur haec sententia subjectiva quae dicitur, id quod valet etiam in iis enuntiatis quae ex illa pendent. Itaque talibus in enuntiatis secundariis item optativum exspectamus, quem in simili sententia apud Theogn. 1189 post ὅτε Bergkius scripsit, quamquam vulgata indicativum praebet et cod. A conjunctivum habere videtur. Et re vera nonnulli codices in nostro loco optativum praebent, vulgata contra indic. βαίνει quem hic non suo loco esse quisquis intellegit. Sed quominus optativum in textum recipiamus, impedit quod nunquam alias apud poetas lyricos optativus in enuntiatis temporalibus cum particula conjunctus invenitur.

Vix igitur indicativus aliter mutari potest quam in conj., qui non alienus est a talibus sententiis ubi quod pronuntietur re vera futurum esse exspectari potest.

Plane similis est locus apud Theogn. 1036 ubi, praecedente potentiali, conjunctivus cum ἄν conjunctus est de re quae fieri nullo modo posse videtur. Quomodo enim homo mortalis, ut „deorum dona“ vitet in Tartarum perfugere potest? Conjunctivus igitur per quem exspectatio rei alicujus significatur, hic non suo loco esset et potius optativum exspectaremus quo mere cogitata significantur, nulla ratione habita utrum perfici possint necne. Sed cum apud lyricos ἄν cum optat. conjunctum nunquam inveniamus, conjunctivum mutare non audeo. Sed fortasse aliter sententia intellegenda est; cogitari enim potest de illis miseris quos veteres in Tartaro summis poenis affici putabant ut sunt Tantalus, Danaides, Ixion alii, de quibus Homerus mentionem facit. Ad quos si sententia refertur, bene conjunctivus hoc loco se habet.

Unum exstat exemplum, ubi conjunctivus praes. excipit aoristum enuntiati primarii, apud Theogn. 498. Sed nullam locus praebet difficultatem cum aoristus sit gnomicus qui dicitur qui est loco praesentis.

**Conjunct. aor.** *Conjunctivum aor.* qui fere semper [1]) ut supra vidimus (pag. 6) fungitur vice futuri exacti, habemus:

*praecedente indicativo praesentis*, apud Solonem 13,$_{76}$ (cf. ad hunc locum quae diximus de Theogn. 232, pag. 9), ubi Hartungius ὁπότε scribere vult. Aliam difficultatem praebet Theogn. 723, ubi conjunctivo et ἄν et κὲν addita invenimus (ὅταν κε), si in tradita lectione stare volumus. Nam Stobaeus qui etiam hunc locum affert, pro κὲ καὶ praebet, quod hic non suo loco est.

Utramque particulam in uno enuntiato invenimus nonnullis in locis Homericis: Λ 187, 202, ε 361, ζ 259, ὄφρ' ἄν ... κεν, N 127, Ω 437, ι 334 τοὺς ἄν κε. Apud Solonem (24,$_{5}$) unde verisimile est hunc Theognidis locum originem duxisse, longe aliter verba leguntur. Locus vix sanari posse videtur; equidem suspicor in κε (vel και) των substantivum aliquod latere.

Conj. aor. invenitur praeterea apud Theogn. 843, 1093, in Kaibel. epigr. 1117.

*Futurum* praecedit in enunt. prim. apud Callinum 1,$_{9}$, Theogn. 244, Callimachum 4,$_{175}$ (ubi plurimi quidem codices non recte ind. fut. praebent), 5,$_{113}$.

*Imperativus* praecedit apud Theogn. 44 (de hujus quidem loci constructione ambigitur), 363, bucol. incert. idyll. 5,$_{35}$; apud Theogn. 989 pro imperativo habemus conjunctivum aor.

Ex conjectura Bergkii ad hos locos accederet Archil. 74,$_{7}$ ubi vulgata habet ἵνα. Sed videamus quae Hauptius

---

[1]) cf. etiam: Griech Schulgrammatik von E. Koch § 114, 2 a. 1.

de hoc loco dicat in opusc. $3_{,385}$: ἵνα Valckenario in ἐάν mutandum esse videbatur. Quod cum non conveniat sermoni Archilochi, Bergkius ὅταν scripsit. Sed hoc quomodo in ἵνα depravari potuerit, non adsequor; quare adsentiendum esse existimo Thierschio et Hermanno, ἵν'ἄν scribentibus....; versum Iliadis H 353 (ἵνα μή...) nolim quidem defendere contra eos qui damnant, sed Aristarchus qui ἵν'ἄν scripsit, non temere neque sine exemplo ita videtur statuisse. Et saepius ἵνα ad temporis significationem prope accedit. Ita Hauptius; et re vera haec conjunctionis ἵνα significatio invenitur etiam apud lyricos, Callim. $3_{,28}$ (cf. pag. 37).

Plane corruptus est locus apud Simon. Ceum $31_{,1}$. Jam restat difficultas apud Jon. $1_{,7}$ ubi in enunt. prim. aoristum habemus qui gnomicus non dici protest; cogitare possis de corruptela loci nisi potius dicere velis poetam sibi illam rem cogitatione fingere ut praesentem illo tempore, cum scribebat, id quod nonnunquam fieri videbimus in enuntiatis finalibus. Accedit quod v. 9. aoristos praesens ἀμέλγονται sequitur (cf. etiam Ξ 522 et quae diximus pag. 6).

Diversitas notionis quam inesse diximus in conjunctivo praesentis et aoristi, bene cognosci potest ex iis locis in quibus conj. praes. et aor. juxta ponuntur, ut apud Kaibelium in epigrammate quod in Herma inscriptum erat (1117):

. . . . . . . ἡ γλῶσσά τοι
αὐτὴ μὲν οὐδέν, ἡνίκ' ἂν λέγῃ, πονεῖ,
ὅταν δ'ἁμάρτῃ, πολλὰ προσβάλλει κακά,

ubi videmus, conjunctivum praes. esse de re duranti, conj. aor. de re temporis momento praeterita et Latinorum futuro exacto respondere; similis locus est Theocr. $11_{,20.\ 21}$. Minus contra haec diversitas patet apud Mosch. $3_{,1,\ 4}$.

Quod ad particulam ἄν attinet, in priori enuntiato temporali illius epigrammatis ἄν usurpatum videmus de re quam futuram esse exspectare possumus. Sine dubio lingua loquetur ut antea locuta est, sed minus certe exspectari potest, fore ut fallatur, ut dicat quae dicere non debebat, et tamen etiam hic particulam ἄν invenimus. Omnes locos examinantes fere semper quidem per particulam notionem quandam condicionalem enuntiatis allatam videmus (Bedingtheit der bezüglichen Aussage). Sed tamen nonnullos locos ut apud Homerum (cf. B 34) habemus ubi res aliter se habere videtur. Apud Callinum $1,_9$ agitur de morte; certissimum est, aliquando Parcas unicuique vitae stamina abscisuras esse; tamen κὲν additum est. Item apud Theogn. 44 non mirum est, malos homines ὑβρίζειν immo certissime id expectari potest. Apud Theogn. 244, ut supra, de morte agitur, de vere adventuro apud Ananium $5,_{4.\ 6.}$ Accedunt nonnulli alii loci ubi quis dicat, certissime et sine ulla condicione aliquando futurum esse de quo agatur, ut apud Theocr. $11,_{20}$, Mosch. $3,_1$. Cum igitur nonnunquam conjunctivus cum ἄν conjungatur, etsi certissime eventus exspectari potest nec minime cogitandum est de condicione ulla e qua res pendeat, diversitas illa constructionis quam viri docti invenisse putabant, parvi aestimanda videtur. Hoc tamen concedendum est, sententiam addita particula, paulo modestiorem fieri atque sermonis vim minui.

## ἐπήν.

ἐπεί conjunctio quam particulis ἄν vel κὲ carentem bis solum invenimus, etiam cum part. conjuncta perraro apud lyricos prioris aetatis, multo saepius apud eos posterioris temporis invenitur. Sunt poetae qui usum hujus conjunctionis plane respuant ut Callimachus; alii perraro ea utuntur ut Theognis a quo semel cum conj.,

semel cum optativo conjuncta est. Contra bucolicis in deliciis ut ita dicam, fuisse videtur, ubi quaterdecies cum conj., bis cum optativo conjungitur.

ἐπήν cum *conjunctivo praes.* conjunctum post *praesens* enuntiati primarii habemus apud Theocr. $16_{,28}$; $17_{,2}$; Bion. $11_{,1}$; Mosch. $5_{,1}$; ἐπεί κε apud Theocr. $1_{,85}$; cum *conjunctivo aor.* apud Theogn. 299, Theocr. $11_{,75}$; $16_{,12}$; $18_{,25}$; $18_{,57}$ (praecedit νέομαι cum notione futuri), incert. idyll. $1_{,106}$ (ἐπάν); $9_{,28}$; ἐπεί κε in scoliis $15_{,3}$ ex conjectura. *conjunctivum aor.* post *futurum* habemus in incert. idyll. $7_{,39}$, conj. aor. post *imperativum* ap. Theocr. $2_{,99}$ (ἐπεί κε) ubi vulgata quidem optativum praebet, sed optimus codex K recte conjunctivum; praeterea in Theocr. epigr. $7_{,2}$ (ἐπήν), apud Herodian. $1_{,1}$.

Restant duo loci qui cum valde corrupti sint, neglegendi sunt, apud Sol. $24_{,5}$ (cf. quae diximus ad Theogn. 723) et apud Alcaeum $19_{,3}$.

## εὖτ᾽ ἄν.

Ad conjunctionem εὖτ᾽ ἄν transeuntes observamus eam praesertim apud Theognidem inveniri et omnino dici potest, poetas posterioris temporis Callimacho excepto eam plane fere respuisse. Sexies eam cum ἄν conjunctam invenimus apud Theognidem. Semper fere habemus *conj. praes.*, ita post *praesens* apud. Theogn. 394, 842, post *imperativum* 70, 1166, 1208, post *futurum* apud Archiloch. $3_{,2}$. Apud Simon. Amorg. $1_{,17}$ *conjunctivum aor.* legimus, sed locus graviter corruptus est ut vix dici possit, quomodo poeta scripserit; conj. aor praeterea invenitur post *praesens* apud Sim. Ceum 113, post *imperativum* apud Theog. 49.

Semel etiam ἡνίκα cum ἄν et conj. praes. conjunctum post praesens habemus apud Kaibel. epigr. 1117. ἡνίκα.
Ut hic etiam aliis in locis conjunctivo cum ἄν conjuncto

res profertur quad certissime fiet, ubi minime cogitandum est de condicione ulla e qua res pendeat., ita in incert. idyll. $9_{,28}$ (ἐπήν), Mosch. $5_{,1,}$ incert. id. $1_{,106}$ (de floribus qui semper hiemis frigore intereunt; cf. quae diximus pag. 26).

Jam absoluta quaestione quam de conjunctionibus ὅτε, ὁπότε, εὖτε, ἐπεί conjunctivo conjunctis fecimus, duodeseptuagies particulam additam, semel et vicies eam omissam videmus. Propius igitur lyrici poetae quam Homerus (cf. pag. 7) ad Atticorum normam accedunt qui particulam semper fere addunt. Quae particula conjunctivo aor. addi solet, si agitur de singulari facto, ubi in enuntiato primario futurum vel simile tempus praecedit; excipitur locus Callim. $5_{,129}$ ubi agitur de re quae certissime fiet (conjunctivum praes. ut de re duranti habemus apud Theogn. 70, Theocr. $7_{,53}$). Quem dicendi usum etiam apud Homerum invenimus, ubi item talibus in sententiis perraro particulam omissam habemus (Φ 323, ψ 258, sed cf. eadem fere verba Σ 116, ubi conjunctivo praes. qui est de re duranti, κὲν particula addita est).

Jam transeamus ad conjunctiones eorum enuntiatorum in quibus actio enuntiati secundarii sequitur vel potius finem significat actionis enuntiati prim. (quarum conjunctionum vim et notionem vernacula lingua reddimus per vocem „bis") aut actionem enuntiati prim. comitatur („so lange").

Notio *„so lange"* (ut jam supra [pag. 17] vidimus, semper hic habemus conjunctivum praes.) inest in voce ἔσκε apud Archil. 14 (quam vocem nunquam alias apud lyricos inveni), in ἔστ' ἄν apud Critiam $7_{,7.\,8,}$ Xenoph. $5_{,4}$; ἕως ἄν apud Theogn. 1327. Praecedit in primo loco praesens, in reliquis futurum. Apud Theocr. $23_{,20}$ (ἇς κε = ἕως κε) lectio dubia est. ὄφρα ἄν, sed verbo carens, invenitur apud Theogn. 252; praecedit futurum et sine

dubio conjunctivus praes. verbi alicujus supplendus erit (Bergkius ᾖ scribit). Eadem significatione indutum ἄχρι ἄν apud Kaibel. epigr. 48 et μέχρις κε apud Callim. frg. 209 invenimus; ἄχρι ἄν praetera legimus apud poetam quendam anonymum (Cram. anecd. Ox. IV pag. $386,_{22}$):

Ὑπνώοις ἐπὶ πουλὺν Ἔρως χρόνον, ἄχρι γὰρ ἄν (συ)
εὕδῃς, εἰρήνην σῶν ἔχομεν βελέων.

Unus exstat locus qui difficultatem praebet, cum ad legem quam statuimus, non quadret. Apud Bionem enim $12,_{14}$ legimus εἰσόκε μή quod, significatione „so lange“ indutum post futurum enuntiati prim. cum conj. aor. conjunctum est. Repugnat igitur hic locus ceteris ubi haec conjunctio (= „so lange“) cum conj. praes. conjungitur. Hac de causa mihi quidem tradita lectio, quae praebet conj. aor., dubia videtur et conicio ἔχῃς pro ἕλῃς scribendum esse. Nam minimam esse differentiam inter scripturam ΕΛΗΙΣ et ΕΧΗΙΣ nemo est quin videat.

Notionem eam quam vernacula lingua per „bis“ reddimus (ubi enuntiato temporali finis indicatur actionis de qua agit enuntiatum prim.) habemus apud Theogn. 304 (ἔστ ’ἄν), Theocr. $1,_{6}$ (ἔστε κε), praecedente praesenti, apud Theocr. $5,_{22}$ et $6,_{32}$ praecedente futuro (cf. pag. 16/17).

πρὶν ἄν quod apud Homerum (cf. pag. 18) non invenitur, habemus apud Sol. $36,_{21}$ post modum irrealem qui dicitur et apud Theogn. 963 post aor. qui est pro imperativo.

## B. de optativo.

Ad optativum transeuntes primum paucis provinciam hujus modi circumscribamus necesse est. Ita paucis quidem, sed apte Delbrueckius dicit pag. 25: Der Grundbegriff des Optativ ist der Wunsch, et pag. 40: Da er

das, was an sich möglich ist, bezeichnet, ist er besonders geeignet, zum Ausdruck des nur Phantasirten zu dienen; id quod Wittingius exprimit: „optativo tantum mere cogitata exprimuntur, quae utrum futura sint necne prorsus in medio relinquitur.“ Praeterea eum usurpatum videmus in rebus praesenti futurove tempore saepius repetitis vel fieri solitis.[1]) Nullam per se temporis significationem habet quoniam ea indicat quae in sola cogitatione posita sunt, sed pro cujusque loci condicione vel ad praeteritum, vel ad praesens vel ad futurum refertur. — Non ita saepe Homerus usus est optativo in enuntiatis temporalibus, ubi quid narratur quod est ex cogitatione ejus, de quo agitur vel qui loquitur (Ξ 247, Υ 148). Saepius apud eum optativus invenitur, cui vis repetitionis inest, ubi conjunctio verti potest per „so oft“; semper fere particula (ἄν vel κὲ) deest (Α 610, Γ 216 ϑ 87), excepto uno loco (Ι 525). Delbrueckius (pag. 32) de his locis monet: Bisweilen liegt die Annahme einer blossen Vorstellung ganz fern oder ist unmöglich, so dass man annehmen muss, schon zu Homers Zeiten habe das griechische Sprachbewusstsein einen reinen Optativ der Wiederholung gekannt. Aber ein solcher Optativ kann nur in Nebensätzen stehen, welche in die Vergangenheit fallen, welche also ein Präteritum in einem zugehörigen Hauptsatz zur Seite haben. Wenn aber ein Präsens vorausgeht im Hauptsatz, so nimmt man Anstoss an dem Optativ der Wiederholung.

---

[1]) cfr. Bäumlein pag. 285, et Hermann ad Viger. pag. 907, qui dicit: „denique quod vulgo tradi solet, optativum ad significandam crebram repetitionem adhiberi, id non eo fit quod optat. per se repetitionem indicet, sed quod hic modus, quoniam ad cogitata tantum refertur, ibi, ubi de pluribus factis sermo est, non certum aliquod factum designat, sed quodcumque ex illis pluribus intellegere quis velit.

Quod ad particulae (ἄν) usum attinet, de lyricis idem fere dici potest ac de Homero; vix ea in enuntiatis temporalibus cum opt. conjuncta inveniri videtur. Unus extat locus apud Alcmanem 94, qui enuntiato prim. caret ubi ὄκκα et optat. habemus. Grammatici quidem Graeci contendunt, hoc loco ὄκκα esse pro ὅτε, duplicata littera κ, quod Ahrensius non probat cujus verba pag. 21 attuli.

Perraro apud poetas prioris aetatis, nunquam apud Pindarum, optativus in enuntiatis temporalibus usurpatur (ut exemplo utar, bis vel ter optativum cum ὅτε (ὁπότε) conjunctum habemus apud veteres lyricos, contra quinquiesdecies apud bucolicos et Callimachum).

Ex assimilatione quae dicitur modorum optativum in sententia temporali habemus si enuntiatum prim., e quo illa pendet, votum (optativum) continet [1]) (cf. Φ 429). Negatio est μή per quam res revocatur ad cogitationem ejus qui loquitur. Talem opt. habemus apud Mimnermum $1_{,2}$. Cum quis optat ut aliquid certa condicione impleta eveniat, ea condicio aut talis est ut exspectetur eventurum illud esse, sed quando sit eventurum, nesciatur; aut ejusmodi ut non modo quando eventurum sit, sed ne illud quidem, num sit omnino eventurum, extra dubitationem positum sit, sed potius de eo ipso maxime dubitetur. Quodsi exspectatur, condicionem impletum iri, conjunctivo opus est (cf. Hermann. ad Vig. 919). Mimnermus non optat mori, simulac senectus ipsum corripuerit, sed si forte eveniat (quod futurum esse non sperat), ut unquam amori operam dare nequeat, tum sibi mortem dicit expetendam fore.

Talem praeterea opt. habemus apud Callim. $3_{,17}$; hoc quidem loco Thierschius optativum in conj. praes.

---

[1]) cf. Bäumlein, pag. 281.

βάλλωμι mutare vult. Sed dicit poeta: „quoties venari desierim"; refertur igitur res ad id quod non in facto, sed in cogitatione positum est. Si conj. βάλλωμι poeta scripsisset, absurde dea diceret, se aliquando non amplius venatricem fore (= da mihi nymphas quae cum desiero venari, canes curent). Item Callim. in frg. 219 si scripsisset πύθωμαι, diceret se exspectare illum moriturum esse. Contra cum πυθοίμην dicit, significat, minime se talem nuntium exspectare, quin sperare, non esse illum moriturum. Etiam apud Theocr. $7,_{107}$ res est in mera loquentis cogitatione (subjektive Annahme).

Potentialis (cf. Ξ 247) praecedit apud Theogn. 1189, quem ex conjectura Bergkii in enunt. sec. optativus excipit (vulgata indicat. πέμπει praebet, cod. A πέμπῃ). Non dubito facere cum Bergkio cum conjunctivus mihi non quadrare videatur. Non enim certo exspectari potest fore ut deus ἄλγεα mittat. Neque unquam apud Theognidem ὅτε cum praes. conjunctum invenimus.

Item potentialis praecedit apud Callim. $3,_{30}$, sed de hoc loco non omnes viri docti consentiunt. Poeta non potuit scribere τίκτωσι; neque enim Jupiter sperabat tales sibi filias fore, dicens: „si pariant, nihil curabo Junonem".

Bis solum et id quidem apud Callim. $3,_{66}$ et $3,_{151}$ in enunt. prim. praesens habemus. Priore quidem in loco codices deteriores indicativum praebent quem Meineckius alii restituere volunt qui etiam altero loco optativum in participium praes. mutant. Sed recte Schneiderus ad Callim. $3,_{17}$ monet: „ubi ex constructionum diversitate patet, non tam certis apud Callimachum finibus definitum esse ubi in rebus praesenti futurove tempore saepius repetitis vel omni tempore fieri solitis vel indicativus vel conj. vel optat. usurpandus sit. (Ab Homero talem optativum alienum esse vidimus pag. 30).

Saepius optativum invenimus, ubi in enunt. prim. tempus quod dicitur historicum habemus; ita apud Callim. frg. 169 de re fieri solita; Callim. $3,_{92}$ de re quae utrum fiat necne plane incertum est. Agitur de facto aliquo quod in poetae cogitatione versatur; repetitionis significatio quae optativo inesse videtur, enuntiato primario efficitur quod imperfectum εἷλκον continet. Quotiens igitur haec res enuntiato primario proposita evenisse cogitatur, totiens eodem tempore etiam alteram illam secundario enuntiato comprensam evenisse putandum est, ut dicit Wittingius pag. 30. Item fere se habent Theocr. $13,_{11}$ et $_{12}$, ubi ὅκα (et ὁπόκα) invenitur de re saepe repetita vel fieri solita, item Theocr. $17,_{14}$, Mosch. $1,_{30-32}$. incert. idyll. $9,_{134}$; inc. $9,_{228}$ habemus ἐκρύφθην δεδεγμένος ὁππόθ' ἵκοιτο (erwartend, wann (vel „bis") er käme). Cogitationem proferunt haec verba quam qui vem narrat, eo tempore habebat quo latebat; tempus ut ita dicam exprimitur quod qui agit ipse mente intuetur. Sed non pro certo haberi potest, illum venturum esse. Itaque optativum, modestioris sermonis modum quam conjunctivum, usurpatum habemus (nonnullos similes locos ubi optativus est pro conjunctivo, habemus apud Homerum: H 415, I 191, Δ 335, Σ 524) ὅτε et optat. invenimus etiam apud Euphorionem frg. 65 quod enuntiato prim. caret.

## εὖτε.

Quater εὖτε cum optativo de rebus saepius repetitis invenitur, ita apud Tyrt. $7,_{2}$ (enunt. prim. verbo caret), Mimn. $14,_{7}$; ubi codices quidem conj. exhibere videntur (A σεύηθ') qui hic non suo loco esset cum in enunt. prim. praecedat indic. aor. neque sententia re ulla ad praesens tempus pertineat. Recte igitur Schneidewinus optativum scripsit ut optativum repetitionis quae

etiam ex voce οὔποτε perspicitur. Apud Callim. $3_{,61}$ repetitionis significatio quae optativo inesse videtur, efficitur enuntiato prim. quod impf. αὖε exhibet. Apud Callim. $5_{,61}$ est locus qui viris doctis de lectione dubium movit et sunt qui, codicum auctoritate nisi, lacunam post opt. ἐλαύνοι statuant. Contra Wittingius omnia bene se habere putat qui cum conjungat enunt. temporale cum enuntiato prim. ἐπεβάσατο, dicit, repetitionis notionem perspici etiam ex vocabulo enuntiati prim. πολλάκις. —

Ceterum monendum est, hanc conjunctionem cum opt. conjunctam alienam esse ab usu dicendi Homerico.

## ἐπεί.

Conjunctionem ἐπεί quam apud Homerum etiam cum particula ἄν conjunctam habemus (ἐπήν, ita δ 222, Ω 226), ter cum opt. habemus, ita apud Theogn. 275. Dubium movit nonnullis viris doctis quod hoc in loco optativus et conj. copulati sunt:

παῖδας ἐπεὶ θρέψαιο καὶ ἄρμενα πάντα παράσχοις
χρήματα δ'ἐγκαταθῇς, πολλ'ἀνιηρὰ παθών,
τὸν πατέρ' ἐχθαίρουσι.

Sed aliquis dixerit, poetam hoc de industria et non sine subtili quadam distinctione fecisse; optativum enim esse de re quae utrum fiat necne prorsus incertum sit („ubi liberos susceperis", siquidem suscipias) et pergere poetam ut de re quae exspectari possit (cum agatur de cura eis educandis adhibuenda) per conjunctivum. Sed tales argutias mittamus. Non enim fieri posse puto ut duo enuntiata quorum alterum optativo, alterum conjunctivo exprimatur, ex una conjunctione pendeant, et dubito potius de tradita lectione ἐγκαταθῇς quam Bergkius mutavit in χρήματα δ'εἰ καταθῇς qui cogitat de pecunia in templo deposita id quod filii qui inhiabant paternis opibus, aegre ferebant. Sed magis mihi arridet con-

jectura Sitzleri (Theognidis reliquiae, Heidelberg 1880) scribentis: χρῆμά τε κατθείης qua constructiones inter se aequantur.

Tempus historicum in enunt. prim. praecedit apud Theocr. $17_{,28}$ et $19_{,32}$ ubi optativus est de rebus repetitis (ἐπεί = quotiens, so oft·)

Apud Theogn. 997 optimi codices τῆμος et optat. exhibent; locus sine dubio plane corruptus est et recte dicit Bergkius: „poeta hortatur non ut desinant convivari, sed ut incipiant sodales.“ Qua de causa nihil contendere ausim de enuntiato temporali, cum verisimile sit, etiam hoc non optime se habere. τῆμος quod traditur, non suo loco est cum conjunctio temporalis sit ἦμος quam etiam Hartungius scribere voluit. Deinde multi codices, deteriores ii quidem, indic. habent pro optativo. Quomodo locus emendandus sit, vix certo dijudicari potest cum nexus sententiarum sublatus et praeterea locus corruptus sit. Sitzlerus pro τῆμος δ'ἠέλιος conicit τῆμος ὅτ'ἠέλιος, anthologiae Pal. loco VIII $23_{,3}$ nixus ubi anthologia similiter τῆμος τ' pro τῆμος ὅτ' habet.

Mira particularum consociatio invenitur apud Callim. $3_{,28}$, μέχρις ἵνα cum opt. aor. conjunctum (praecedente aoristo), quod Ernest. explicat: usque dum contingeret. Schneiderus nobis fidem facere conatur, ἵνα hoc loco conjunctionem temporalem esse et hanc significationem explicandam esse ex illa locali quae inveniatur jam apud Homerum; Od. ζ 27 cum. indic. conjuncta. Dicit praeterea: μέχρις ἵνα non diversum est a μέσφ'ὅτε quo usus est Callim. $3_{,195}$; $6_{,112}$ (cf. etiam $3_{,12}$, ubi item ἵνα temporale invenitur („quando perimo“). Recte optativus ab editore explicatur cum dicat: optativum cum Call. poneret, ipsam Dianam haec ita cogitantem facere voluit. Finis, quem captans assequi volebat, semper ante oculos obversabatur, usque dum contingeret.

Optativi post πρίν positi quo plane et tragici et comici poetae, Sophocle excepto, abstinuerunt (sed cf. Homeri πρίν γ'ὅτε I 488, πρίν Φ 580), unum exemplum invenitur apud lyricos, Theog. 126, ubi opt. potentialis praecedit. Optativus hoc loco per attractionem ut grammatici dicunt, in enunt. temp. usurpatur quia hoc enuntiatum pendet ex sententia quam nos „subjectivam" dicimus, ubi optativus suo est loco (cf. Soph. Oed. reg. 505).

Jam ad finem pervenimus dissertationis quam instituí de enuntiatis temporalibus. Nolo repetere cum longum sit, quae in usu modorum vel uniuscujusque conjunctionis memoratu digna invenimus, praesertim cum mihi displiceat ex tam parvo locorum numero qui supersunt, de veterum lyricorum usu dicendi in universum conjecturas facere. — Vidimus, quod ad conjunctivum attinet, saepe omitti particulam ἄν vel κὲν a scriptoribus prioris aetatis, id quod Callimachus, neque vero, nisi perraro, bucolici poetae imitantur; optativum quem non ita saepe apud poetas prioris aetatis invenimus, saepius apud bucolicos et Callimachum habemus ut procedente tempore provinciam suam protulisse videatur (miror omnes fere hos locos Call. esse in hymno III et quaeri possit num hoc casu factum sit). Eandem rem etiam in enuntiatis finalibus fieri videbimus.

Sed priusquam animum convertimus ad enuntiata fin., aliquid de indicativo enuntiatorum temporalium addere velim quamquam non meum est de indicativi modo verba facere.

**de indicativo.** Thierschius enim contendit, particulam ὅτε non conjungi posse cum indic. praes. cum dicat (acta Monac. I 209): „sententiae temporales requirunt indicativum in rebus praeteritis tum cum indicant, quo tempore factum sit, quod in adjecta sententia commemoratur; conjunctivum

sibi vindicant in rebus praesentibus et futuris et in comparationibus. Docent vero tum quando aut fiat aut futurum sit illud quod in altera sententia commemoratur; optativum requirunt, ubi notio quam continent, mente tantum concepta eoque aut universalis est aut ad rem refertur de qua quis tantum cogitat.“ Jam in iis quae supra diximus, vidimus quo modo res se habeat in conjunctivo et opt. Quod attinet ad indicativum, falsam esse opinionem illius viri docti, qua commotus nonnullis locis lectionem mutare vel aliter explicare conatus est (ita, ut exemplo utar, apud Callim. $4_{,297}$ μορμύσσεται conjunctivum esse putat correpta vocali), brevitur demonstrabimus locis allatis, qui non quadrant ad illam legem. Recte usurpatur indic., si sermo est de re certa ac definita et fieri solita ut Theocr. $17_{,80}$; neque quidquam prorsus est causae quare enuntiata temp. ut saepe indic. aor. habent (Mimn. $14_{,11}$, Theogn. $5_{,12}$, Theocr. $3_{,28}$, $12_{,16}$ rel.), non possint etiam habere indic. praes. Nemo dubitabit quin praeferendus sit conj., ubi de re sermo est plane incerta, vel si agitur non tam de tempore quam de condicione. Contra recte indicativum praes. (qui post ὅτε re vera apud Theogn. exstare non videtur), invenimus apud Mimn. $2_{,2}$ (ὅτε), Theog. 1276 (ἡνίκα); Plat. $8_{,1}$; Alcm. $76_{,4}$; Sapph. 43; Simon. C. 162 (ἐπεί); Bacchyl. 24,1 (εὖτε); apud bucolicos (ἀνίκα) Theocr. $6_{,16}$; $7_{,22}$; ὅτε: $7_{,54}$; $17_{,80}$; $20_{,55}$; inc. idyll. $3_{,23}$; $8_{,71}$ (ubi particulae ὅτε δή γε conjunctae sunt = siquidem, quandoquidem); Mosch. $1_{,2.\,4.}$; εὖτε: Mosch. $1_{,5}$; apud. Callim. ὅτε: $2_{,18}$; $3_{,19.\,21}$; $4_{,84.\,207.\,297.}$; ὁπότε: $3_{,141}$; $4_{,17}$. ἡνίκα: $4_{,176}$. Apud Callim. $4_{,141}$ comparationem cum ὡς ὁπότε et indic. praes. institutam habemus, ubi ex Homeri usu ὡς ὅτε et conj. simplicem exspectaremus (perraro hic ἄν, nunquam κὲν addit conjunctivo qui locum in parabola habet).

Videmus igitur falsam esse Thierschii opinionem, et ita potius dicemus: modus indicativus locum habet siquid certo tempore aut fieri aut factum esse aut fore indicatur.

## II.

## De enuntiatis finalibus.

Nolo hoc loco repetere quae de vi et notione conjunctivi et optativi diximus in enuntiatis temporalibus. Eaedem enim leges valent et in enuntiatis temp. et finalibus. Si igitur dico, me aliquid suscipere vel suscepturum esse, animus meus eo erit intentus ut res vere perficiatur; eventum actionis re vera exspectabo, quia, si non exspectarem, supervacaneum esset rem suscipere; et propterea post tempus praesens vel futurum adhibebo conjunctivum. Contra si in rebus praeteritis narrandis commemoro consilium aliquod, id consilium, quod actio ipsa praeteriit, non jam cum exspectatione eventus conjunctum esse potest, sed tantum indicari potest quod praeterito tempore cogitabam. Itaque post tempus praeteritum recte optativus (cfr. pag. 30) se habebit. Quae cum ita sint, Dawesius vir doctus legem grammaticam statuit, post tempus praesens (vel futurum) ponendum esse conjunctivum, post praeteritum optativum quam regulam initio multi viri docti probaverunt. Sed jam scimus eam reiciendam esse et conjunctivum usurpari, non quod tempus prim. praecedat, sed quod necessario toto rerum nexu postuletur, Non temporibus quae pracedunt, accommodantur modi, sed

pro sua natura ac vi ponuntur, et mox videbimus fieri posse si sententiarum ratio ac nexus postulet, ut conjunctivus sequatur etiam tempus praeteritum. Non aliter res se habet apud Homerum, ubi inter 567 enuntiata fin. triginta duo exempla habemus conjunctivi qui tempus secundarium (enuntiati primarii) excipit. Tamen recte Ph. Weber [1]) (pag. 51) dicere potest: Schon bei Homer existirt für den Absichtssatz eine Modusfolge in der Weise, dass auf Hauptzeiten der Conjunctiv, auf Nebenzeiten der Opt. folgt.

## A. de conjunctivo.

In iis quae supra dixi, vidimus, si conjunctivo finali utamur, nos exprimere certam nostram exspectationem fore ut consilium nostrum vel finem quem petamus, re vera adipiscamur; conjunctivus igitur finalis exprimit exspectationem eventus.

Antiquum illum dicendi usum quem apud Hom. Z 340 videmus ubi sine ulla conjunctione ejus qui loquitur voluntas conjunctivo expressa conjungitur cum imperativo qui praecedit, apud lyricos non jam habemus nisi in enuntiatis quae dicuntur negativis ut saepe alias (cf. Homeri φ 369).

Ut apud Homerum, quatuor sunt conjunctiones ad vim finalem significandam: ὡς, ὅπως, ὄφρα, ἵνα e quibus ἵνα propria est conjunctio finalis, cui nunquam neque apud Homerum (excepto uno loco et dubio illo quidem μ 156) ἄν vel κὲν additum invenimus. Talibus enim in enuntiatis habemus conj. volentis, neque vero ex-

[1]) Ph. Weber: Entwicklungsgeschichte der Absichtssätze; qui pag. 72—77 agit de enunt. fin. poetarum lyric. omissis bucolicis et Callimacho.

spectantis, cui, cum in exspectatione neque vero in voluntate de condicione aliqua cogitari possit, particula addi solet qua proprie caret conjunctivus volentis.

Initium faciamus ab conjunctionibus ὡς et quae non multum differt, ὅπως, quae sunt usitatissimae,[1]) non dico apud Homerum qui ὄφρα conjunctionem praefert, sed apud poetas lyricos posterioris saltem aetatis. Recte Tachau pag. 9 monet, eas proprie esse adverbia comparationis (= ut), unde profecta sit vis quam grammatici dicunt, consecutiva quae postea notioni proprie finali cesserit. Optime igitur ex prisca notione consecutiva, ubi conjunctivus erat exspectantis, explicari potest, quomodo factum sit, ut nonnunquam, saepissime id quidem apud Homerum, rarius apud lyricos, conjunctivo particula κὲν (ἄν) addatur. (cf. Weber pag. 10.)

Theognis conjunctionem ὡς (ὅπως) plane respuisse videtur; ter solum apud prioris aetatis poetas eam invenimus, multo saepius apud bucolicos, e quibus Theocritus undecies eam usurpat. Semper fere antecedit in enuntiato prim. tempus primarium (praes., fut., imperat.); ita ὡς habemus apud Erinn. $5_{,7}$; Anacr. $62_{,4}$; $63_{,6}$; Rhianum $11_{,3}$; Theocr. $2_{,9}$; $5_{,38}$; $8_{,73}$ (cum conj. praes. et aor.); $11_{,59}$; $11_{,68}$; $15_{,91}$ ubi deest enuntiatum prim., sed facile mente suppleri potest: scito (cf. similem locutionem optativo c. ἄν expressam apud Theocr. $2_{,141}$); Theocr. $18_{,48}$; $18_{,54}$ ubi lectio non plane constat (Ahrensius infinitivum scribit), $22_{,22}$; Callim. $5_{,32}$; Kaibel. epigr. 1130. Duo conjunctivos, praesentis et aoristi, habemus apud Bion. $1_{,39.\ 40}$, nulla intercedente notionis diversitate.

---

[1]) Non ita saepe Homerus et lyrici poetae (undecies ὅπως: bis et tricies ὡς), rarius etiam quam conjunctione ὡς tragici poetae conjunctione ὅπως utuntur quae ex contrario apud Aristophanem ceterosque qui Attici dicuntur, scriptores priores partes obtinet.

ὅπως habemus post praesens apud Anacr. $63_{,3}$; Hipponact. $85_{,3}$; Theocr. $23_{,31}$.

Nihil monendum est de constructione horum locorum qui omnes regulam illam sequuntur quam de conj. supra statuimus. Sed transeamus ad *conjunctivum* qui est *post tempus historicum.* Talem conjunctivi usum nonnunquam habemus apud Homerum. Rara ea quidem sunt exempla ubi voluntas per conjunctivum profertur quae non erat nisi in praeterito tempore (π 369, κ 24. ι 102 [cum optativo ζ 50]). Sed nonnunquam in sententiis finalibus per conj. significatur consilium ejusmodi, cujus vim et effectum praesenti etiam tempore rata esse vult qui loquitur, hoc est, si consilium quod olim susceptum fuit, durat etiam tempore loquendi. [1]) Tachau (pag. 26) hunc conjunctivi usum his finibus circumscribit: conjunctivum bene se habere videmus iis narrationis locis, quos maximi momenti esse vult scriptor, id quod fieri potest:

1) si eventum consilii exspectari indicatur etiam tempore narrandi vel loquendi,

2) si persona agens quasi ipsa meditans atque consilii consequens exspectans inducitur (oratio recta pro or. obl.)

3) si propter magnum quo afficitur in narrando, animi affectum res praeteritas quasi praesentes profert scriptor. [2])

---

[1]) Kuehner: Griech. Sprachlehre II 896. b.

[2]) Sed cf. Weber. qui nimiam subtilitatem evitare studens ita de hac re (pag. 55) judicat: Steht der Conj. in einem Absichtssatz nach einer historischen Zeit des Hauptsatzes, so ist der Absichtssatz nicht innerlich mit dem Vorausgehenden verknüpft; es tritt die ursprüngliche Parataxis wieder hervor etc.

Talem igitur post tempus secundarium constructionem invenimus apud Hippon. 19,$_3$ (ὡς μή); Theocr. 6,$_{39}$ (ὡς μή) et 15,$_9$ (ὅπως μή).

Enuntiatum finale intercalatum habemus apud Theocr. 15,$_{91}$ (ὡς εἰδῇς); Theocr. epigr. 6,$_6$; Kaibel. epigr. 204, c.

Apud Platonem 14,$_2$ legitur ὡς βλέπω. Sed cum conjunctivus hic non quadret (agitur enim de re quae rata fieri nullo modo potest), viri docti de optativo βλέποιν scribendo cogitaverunt. Sed fortasse melius locus se haberet si scriberemus ὃς βλέπει (sic Wilamowitz: Hermes IV, 164).

Jam restant duo loci ubi post ὅπως non conjunctivum, sed fut. habemus; apud Theocr. 22,$_6$ in carmine aeolico legimus: πλόον αἰτήμεθα,

ὄππως ξέννον ἔμον τέρψομ᾽ ἴδων κἀντιφιλήσω,

ubi Bergkius, scribit: κἀντιφιλήσομεν, (Hillerus in Fritzschii editione ἀντιφιλήσομαι), dicens, etiam κἀντιφιλήσεω legi posse. (Ahrensius ille quidem profert: κἀντιφίλησ᾽ ἐῶ.) Nihil igitur certi de hujus verbi forma dici potest; sed quod ad τέρψομ᾽ attinet, haec est forma futuri; sunt enim formae aoristi pass.: ἐτάρφθην, ἐτάρπην, vel medii ἐτάρπόμην. Perraro et non nisi apud epicos forma ἐτερψάμην usurpatur. Poeta igitur hoc loco futurum scripsisse videtur post ὅπως. (Cf. α 57 et quae de hujusmodi constructionibus Homericis disputavit Weber. pag. 57—59 et Bäumlein. pag. 111.)

Alter locus invenitur apud Callim. 4,$_{245}$: οὐδ᾽ ἔστιν ὅπως ῥέξω.

Cum perpauci in singulis conjunctionibus loci sententiarum finalium inveniantur, ubi ἄν vel κὲν additum habemus (quod quomodo factum sit vidimus pag. 40), eos locos continuo afferre mihi liceat. Nunquam particulam cum ὡς conjunctam invenimus apud poetas buco-

licos, ter vel quater apud reliquos poetas lyricos, ita apud Hippon. $43_{,3}$, Rhian. $5_{,6}$ (ubi votum praecedit), Callim. $4_{,10}$ (ubi futurum praecedit). Semper his in locis sermo est de re non plane certa (Conferas, ut exemplo utar, Callim. $4_{,10}$: „ut si res bene cadit (ἄν), deus eum laudet.“ Non ita fidenter illud fore dici potest. Ceterum ne nimiam vim tribuas particulae additae, cf. Homeri P 635 cum α 296 ubi apparet, nonnunquam paene nihil interesse utrum particula addatur necne).

ὥς κε legitur praeterea apud Rhianum (Stob. flor. IV 34): τεκμαίρεται ἀτραπιτὸν Οὔλυμπόνδε
ὥς κε μετ'ἀθανάτοισιν ἀρίθμιος εἰλαπινάζῃ,
nisi hoc fragm. potius inter epica numerandum est.

Quod ad Homeri usum particulae conjunctioni ὡς vel ὅπως additae attinet, paulo aliter res se habet atque apud lyricos. Plerumque enim Homerus, Delbrueckio auctore, particulam addit cum in 48 locis octies conjunctivum simplicem, bis et tricies conj. cum κὲν, octies cum ἄν conjunctum habeamus. Est igitur re vera diversitas quaedam inter Homerum et lyricos in particulae usu et mira ea quidem cum hac in re Attici scriptores Homericum potius dicendi usum secuti sint. Nunquam particulam apud lyricos cum ὅπως conjunctam habemus (ter apud Homerum), id quod tam parvo locorum numero casu factum esse potest.

## ὄφρα.

Sed transeamus ad conjunctionem ὄφρα quam cum conj. conjunctam et vi finali indutam novies apud lyricos, nunquam apud Atticos invenimus. Usitatissima ea est conjunctio finalis apud Homerum, apud quem ὄφρα in 237 locis, ἵνα in 145, ὡς vel ὅπως in 72 enuntiatis final. habemus.

Tempus primarium praecedit apud Theogn. 546 (ὄφρα μή), 565, 566 (post infinitivum qui est pro imperativo), incert. idyll. $7_{,6}$, Callim. epigr. $12_{,1}$; Theocr. $16_{,30.\ 31}$, ubi conj. praes. et aor. sine differentia notionis inveniuntur. Duobus locis conjunctivum aor. habemus post tempora secundaria: apud Bacchyl. $49_{,4}$ (ὄφρα τάχιστα). Etiam Weberus hanc hujus loci constructionem explicare non potest. Neque enim agricola majore cum vi indicat, se etiam tum sperare fore ut zephyrus etiam futuro tempore eum flando adjuvet, sed agitur de facto aliquo praeterito. Nisi igitur optativum λικμήσαι scribere malueris quod facile ex tradita lectione conjicere possis, dicendum erit, poetam eo tempore cum illud narravit, se cogitatione quasi insinuavisse in mentem agricolae deum invocantis et consequens actionis ut futurum sperantis. Penderet tum enuntiatum fin. potius ex participio εὐξαμένῳ quam ex verbo enuntiati prim. ἦλθε.

Aliter se habet locus Callim. epigr. $6_{,7}$; actio illa quidem cadendi praeteriit, in cogitatione et mente tantum inest, sed finem quem subjectum in agendo adipisci volebat, nondum assecutum est. Actionis consequens etiam nunc durat et exspectari potest, etiam per futurum tempus Arsinoem nautilo ut crepundiis usuram esse (cf. Ξ 87).

Conjunctivi cum ἄν (κὲν) conjuncti nullum in hac conjunctione exemplum habemus nisi in Kaibel. epigr. 240, ubi optativus voti praecedit; neque apud Homerum qui c. centies quadragies ὄφρα cum conj. conjungit, saepe (duodecies) particulam additam invenimus, quae originem duxit ex prisca conjunctionis notione temporali [1]) (cf. σ 182 cum γ 426 ubi apparet, sententiam

[1]) cf. de origine notionis finalis: Weber, Absichtssätze pag. 16.

addita particula non mutari, nisi dicere velis poetam usum esse particula ad sententiam modestiorem proferendam ut dicit Tachau).

ἵνα.

Conjunctio finalis ἵνα quae est in oratione pedestri longe usitatissima, perraro ab antiquis lyricis, multo saepius a lyricis posterioris aetatis usurpatur. Etiam Homerus ter et octogies eam cum conj. conjungit, plerumque ita ut exprimatur enuntiato finali voluntas, quam qui loquitur ipso tempore loquendi habet. Itaque non forte fortuna factum este videtur ut ἵνα apud Theocritum non inveniatur, nisi in duobus carminibus (25 et 27 apud Fritzsch.), quae alias ob causas in spuriis habentur (incert. id. 9 et 7 in Ahrensii edit.). Cum igitur ἵνα non usurpetur in tanto versuum numero qui sine dubio Theocriti sunt, hic conjunctionis ἵνα usus accedit ad alias causas cur illa duo idyllia Theocrito abjudicanda sunt.

Nihil monendum est de locis ubi antecedit tempus prim.: Theogn. 777, Herod. 9 (caret enuntiato prim.); Simon. C. $103_{,8}$; carm. popul. $46_{,6}$; incert. idyll. $9_{,177}$; $7_{,12}$; $7_{,47}$ (ubi lectio incerta est); Bion. $10_{,7}$; Mosch. $4_{,8}$; Callim. $3_{,7}$; Kaibel. epigr. 303; 788.

Incert. idyll. $7_{,12}$ sensum vere finalem habemus, itaque etiam simili in versu 10 ἵνα particula ut conjunctio finalis per „ut“ vertenda esse videtur neque vero per adverbium „ubi“, quamquam negari non potest, formam ἐνίψω nunquam esse conj. aor. nisi apud scriptores posterioris aetatis ut apud Nonnum (metaphr. Joann. $9_{,116}$, Dionys. $46_{,44}$. Hic igitur primum hujus usus locum haberemus. Semper enim alias ἐνίψω est forma futuri, cum conj. aor. ab ἔνισπον (ἤνισπον) formatus sit ἐνίσπω (cf. Λ 839).

Conjunctivum post tempora secundaria (quem post ἵνα (cf. I 99) novies apud Homerum habemus, optativum contra septies et quadragies) invenimus apud Kaibel. epigr. 978 (ex tempore Caesaris Augusti) ubi aoristus vice perfecti fungitur (cf. ω 360); deinde quater apud Callim., ut $3_{,106}$. Adhuc et etiam in futurum tempus durat consequens actionis illius, sc. capiendarum cervarum; et erat consilium, ut tum et futuro in tempore currum Dianae traherent. Si ageretur de uno ac singulari facto, sc. ut cervae uno illo temporis momento neque etiam postea currum traherent, poetae prioris quidem temporis optativum usurpavissent. Sed primus inter lyricos Callimachus aliam viam ingressus esse videtur. Duobus enim in locis conjunctivum habemus: $3_{,213}$ et $4_{,34}$ quamquam in enuntiato temp. nihil inest quod ad praesens tempus pertinet. Hic igitur ut indicium sermonis procedente tempore corrupti usum modorum plane mutatum videmus; cadit igitur etiam in Callimachum quod Hermannus ad Orph. 736 monet: „si voluisset poeta usitatam syntaxin observare, poterat optativum scribere, sed jam videtur, licet parcius, ab illa syntaxeos norma recessisse, quam Qu. Smyrnaeus et qui hujus aequales sunt, susque deque habuerunt". Hanc tam pravam ac dissolutam rationem usurpandorum modorum, potissimum conjunctivi post tempora praeterita, invenimus nonnunquam etiam apud Apollonium Rhod.[1]) et hujus aetatis poetas, potissimum autem apud poetas posterioris temporis.[2]) Non id quidem me fugit, similia exempla apud Homerum inveniri, quae attuli pag. 41 et dixerit aliquis, Callimachum rariora captantem etiam hac in re imitatorem Homeri se praebere. Hoc autem

[1]) cf. Wellauer ad Apoll. Rhod. I 17.

[2]) cf. Köchly ad Quint. Smyrn. in praefat. pag. LXXXVI.

concedendum est, legem illam grammaticam, quam pag. 38/39 apud Homerum valere et perpaucis solum in locis ab eo neglegi vidimus, procedente tempore plane firmatam a Callimacho inter lyricos primo perfractam et sublatam esse.

Cum negatione μή conjunctum ἵνα habemus apud Callim. $3_{,7}$ (post imperat.) et frg. 144 (post imperfectum).

Afferendus est praeterea locus Callim. $3_{,154}$, ubi ἵνα cum indic. conjunctum esse videtur. Sed res aliter se habet et recte Schneiderus dicit: Callimachus verbum quod utrique enuntiationi commune est, non primariae, ut vulgo fit (h. e. hoc loco: ἵνα θνητοί σε βοηθόν), sed secundariae accommodavit (ὡς θνητοὶ ἐμὲ βοηθὸν κικλήσκουσιν). Non igitur recte fecerunt editores ii qui unum codicem secuti conjunctivum scripserunt.

## μή.

Particulae μή proprie nihil aliud inest nisi vetandi notio. Sed factum est ut paulatim artius conjungeretur cum verbo timendi quod antecedebat et ita conjunctio finalis fieret;[1]) μή igitur potissimum invenitur post verba timendi et sollicitandi.

μή post δέδοικα, δειμαίνω alias timendi notiones habemus apud Theogn. 39, 508, 541 (qui locus verbo caret), 680, 1081 ubi cod. O recte conj. praebet, nonnulli alii ut A K optativum; Ibyc. $24_{,2}$ (quod exemplum apud

---

[1]) cf. Weber. pag. 25: „Im negativen Absichtssatz ist ganz überwiegend bei Homer die parataktische Form beibehalten worden (also einfaches μή ohne Conjunktion); ἵνα μή kommt noch am häufigsten vor (26 Mal), ὡς μή 10 Mal. Dagegen ὄφρα, welches sonst am meisten vorkommt unter den Finalpartikeln, haben wir sehr selten mit μή verbunden (3 Mal)."

Idem fere dici potest de lyricis poetis, ubi singulis conjunctionibus fin. bis vel ter μή additur.

Weberum deest); (incert. idyll. $7_{,21}$, qui locus corruptus ad nos pervenit; codices fut. δώσω habent, Cobet. conjunctivum δῴσι conjecit, Ahrensius [1]) δώσει scripsit;) incert. id. $7_{,29}$, item $1_{,53}$ ubi particula μή liberius cum verbis proximis conjuncta est; inc. id. $8_{,93}$ codices (sunt ii quidem perpauci) optativum exhibent pro quo omnes editores recte conj. scripserunt; Callim. epigr. $45_{,6}$; inc. idyll. $8_{,109}$ codices post imperfectum πάπταινεν („circumspicere" cum notione timendi) etiam conjunctivum habent. Difficile est dijudicare utrum standum sit in hoc conjunctivo, an sit futurum ἐπιφλέξει scribendum quod editio Ursini habet, quam Ahrensius sequitur. Mihi quidem eadem de causa atque inc. idyll. $9_{,267}$ de quo loco postea dicemus, conjunctivus tolerari posse videtur ut in descriptione maxime vivida ut ita dicam et alacri qua res praeterita quasi „repraesentatur" ut Tachau dicit, id est quasi praesens narratur (cf. similem locum N 649 ubi Nauckius quidem quamquam libri conj. praebent, optat. scripsit). Sed tamen etiam futurum post verbum timendi bene se haberet quod primum ut Weber. pag. 79/80 affirmat, invenitur apud Aeschylum (cf. etiam Web. pag. 84). Ceterum hoc loco (ut ω 491) μή verti potest per „ob nicht", quae particulae vis certe exstat apud Sol. $42_{,1}$ (ὅρα μή σε προσεννέπῃ).

Pervenimus per hoc exemplum ad eos locos ubi μή invenimus post imperativos ὅρα, σκόπει, φράζευ sim., quibus notio cavendi inest. Sunt hi loci in scol. $23_{,2}$; apud Theocr. $3_{,5}$; $6_{,13.\ 14}$; Callim. $5_{,52}$.

Alii imperativi antecedunt apud Phocyl. $16_{,2}$ (infin. pro imper.), ubi codices quidem optat. habent quem

---

[1]) quem etiam Hillerus (Fritzsch. ed. III) sequitur; et re vera facilius explicari potest quomopo ex δωσει factum sit δωσω quam δῴσι.

editores omnes in conj. mutaverunt; apud Theogn. 76; Plat. $22_{,6}$; Herod. $10_{,4}$; Anacr. $115_{,2}$; Theocr. $1_{,139}$ (praecedit futurum quod est pro imperat.); $10_{,45}$ codices optimi ut supra (Phocyl. $16_{,2}$) optativum exhibent, quos etiam Ahrensius secutus est. Optativo („ne fortasse aliquis dicat") multo minus confidenter res proferretur quam si poeta conjunctivo utitur, quo dicit se exspectare, vel saltem verisimile esse, vituperationem iis affore; praeterea Theocr. $15_{,67}$; incert. id. $3_{,67}$; $7_{,16}$; Mosch. $2_{,25}$; $6_{,5}$; Kaibel. epigr. 195, 1115, Callim. frg. 98. a.

Restant pauci loci qui mihi non omni dubio vacare videntur. Ita apud Philox. $3_{,6}$ conj. aor. invenimus qui pendet ex participio quod est conjunctum cum tempore historico: καθιδρύθη συγκαλύπτων μὴ κατίδῃ τις. Hunc conj. non ut in locis supra allatis explicare possumus et fortasse hac de causa optativus legendus est. Sed fieri potest ut jam hic vestigium eversae dicendi rationis quae est in modorum usu, habeamus (cf. supra [pag. 46] Callim. $3_{,243}$).

Conjunctivum post tempus secundarium habemus praeterea inc. idyll. $9_{,267}$ ubi codices in conj. scribendo consentiunt, et recte id quidem. Fieri enim potest ut si quis magno animi effectu in narrando afficitur, res praeteritas tanta alacritate proferat quasi praesentes essent. Cogitando plane Hercules redit in tempus praeteritum ita ut suum facinus narret quasi praesens, id est quasi etiam eo tempore, quo narrationem profert, consequens actionis exspectare posset. Transit igitur concitatus narrantis animus quodammodo ex orat. obliqua in orat. rectam (cf. N 649); locus ita majore cum vi et gravitate profertur.

Apud Theocr. $12_{,37}$, si tradita lectio bene se habet, verbum in enuntiato fin. deest, sed facile mente suppleri potest (cf. Theogn. 541 quamquam loci non plane pares

sunt). Enuntiatum prim. deest apud Simon. C. 17; lectio plane dubia est apud Theocr. 9,$_{30}$ ubi prave codices μηκέτι tradunt; schol. κ μήπω legisse videtur quod Zieglerus in textum recepit; locus nondum emendatus est. Similis est locus Theogn. 506 ubi in enunt. prim. conjunctivum aor. qui est pro imperativo, habemus, in enunt. sec. μήπως. De verbi forma codices non consentiunt: A praebet indic. quem Bergkius in textum recepit, O indic. et conj., reliqui conj. ἔχῃ ut etiam Stobaeus. Enuntiatum hoc interrogatio esse videtur quam obliquam dicimus, ubi μή πως vertendum esset per „ob nicht“. — Apud Theogn. 1307 post μή futur. ind. invenimus, de quo loco Weber. pag. 75 dicit: Wir begegnen wieder zum ersten Male dem Futurum beim paratactischen μή, das wir bei Homer nur an zwei Stellen, und zwar in einer und derselben Formel gefunden haben. Das Futurum erscheint hier in freierem Anschluss (Sunt hi loci homerici Υ 301 = ω 544; cf. ad usum explicandum Χ 122).

Quod attinet ad tempus conjunctivi post μή positi, semper fere conj. aor. habemus; conj. praes. cum conj. aor. conjunctum habemus apud Theogn. 508 et incert. id. 7,$_{16}$.

Haec sunt quae de conj. enuntiatorum finalium dicere volebam; transeamus jam ad optativum (cf. etiam Weber. pag. 78).

### B. De optativo enuntiatorum finalium.

Vidimus de praeteritis consiliis conjunctivum ibi usurpari, ubi effectus adhuc durat vel exspectandus est; cum autem jam praeteriit effectus, optativum scriptores usurpant, qui cum effectum non verum, sed modo cogitatum notet, hoc saltem non indicat, eum adhuc ma-

nere, sed potius refert ad illud tempus quo captum est consilium. Optativo igitur indicatur consilium aliquod cogitatione contineri, neque quidquam referre, utrum perficiatur necne. Per se patet, votum proferentibus quod cogitatum est, cujus de eventu fortasse ne cogitari quidem potest, etiam omnia ea quae cum hoc cohaereant, quippe quae in cogitatione nostra sint, per optativum exprimenda esse.[1]) Id quod apud nonnullos viros grammaticos attractio nominatur; neque vero casu factum equidem puto, ut constructio utriusque enuntiati eadem sit, sed ut supra vidimus, explicatur ex ipso sententiarum nexu. Habemus hunc usum jam apud Homerum, non in Iliade, sed in Od. σ 368, ξ 407, γ 346 (conjunctivus contra invenitur σ 202). Similes locos post ὅπως habemus apud Theocr. $6_{,24}$; post ὄφρα apud Theogn. 886, 1126. Dubius est locus apud Rhianum $11_{,3}$:

ἑλίσσοις ῥάμνον
ὡς ἐπ' ἐμοὶ μηδ'ὄρνις ἐν εἴαρι κοῦφον ἐρείδοι
ἴχνος, ἐρημάζω δ'ἥσυχα κεκλιμένος,

ubi Meineckius conj. ἐρείδῃ scribere vult, conjunctivo ἐρημάζω commotus.

Simplex optativus fin. post tempus primarium qui ab Homeri usu dicendi alienus esse videtur, apud lyricos non invenitur nisi apud Simon. Amorg. $7_{,82}$, ubi praesens praecedit; habemus hic sententiam ut nos dicimus, subjectivam. Non ita saepe opt. habemus, ubi imperativus antecedit (cf. ψ 135, ubi lectio quidem non ab omnibus probatur). Neque apud lyricos optativus cum particula (ἄν) conjunctus post tempora primaria invenitur qui ab Homero non nisi in Odyssea et perraro id quidem usurpatur.

De ceteris locis ubi opt. post tempora secundaria

[1]) Bäumlein. pag. 272; Delbrück. pag. 229.

habemus, nihil monendum est; sunt hic post ὅπως: Callim. $3_{,74}$, frg. 108, Kaibel. epigr. 520, inc. idyll. $9_{,273}$. post ὡς apud Theocr. $13_{,14.\ 15}$; $18_{,17}$; $19_{,100}$, ubi optat. cum modestia quadam usurpatur post infinitivum, qui imperativi vice fungitur. Non ita fidenter eventum exspectare potest qui jubet et minus confidenter et firme loquitur quam si conjunctivum usurparet. ὡς μή habemus apud Bion. $13_{,7}$.

Optativum post conjunctionem ὄφρα invenimus praecedente tempore secundario apud Stesich. $8_{,3}$; incert. id. $9_{,190}$; $9_{,191}$; Kaibel. epigr. 411; $546_{,14}$; Callim. $3_{,109.\ 167}$. ἵνα cum opt. conjunctum habemus apud Phanocl. $1_{,13.\ 26}$; Callim. $1_{,54}$; $3_{,89}$.

Post imperat. habemus optat. apud Cramer. anecd. Oxon. IV 376:

δὸς πιέειν ἵνα Βάκχος ἀποσκεδάσειε μερίμνας.

Is qui vinum sibi dari vult, cupit quidem et desiderat effectum, sed agitur de re exspectata quam futuram esse nemo est qui sciat. Idem semel invenimus post μή apud Phocyl. $16_{,2}$, ubi infinitivus qui est pro imperat. antecedit, si omnino lectioni traditae fides est habenda. Nam locus ita corruptus ad nos pervenit ut alii aliter eum tractaverint.

Tempus secundarium conjunctioni μή, si ita dicere licet (cf. pag. 47), antecedit in incert. id. $9_{,66}$; $3_{,54}$ et $_{57}$ ubi optativum retinere velim quamquam Ahrensius in utroque loco, unum codicem secutus, indic. scribit. Accedit locus Theocr. $20_{,93}$ ubi ut in inc. idyll. $9_{,66}$ et $3_{54}$ in enuntiato prim. verbum timendi antecedit.[1])

Quod ad particulam ἄν (κὲν) optativo fin. additam attinet, haud ita saepe eam invenimus apud scriptores

[1]) cf. Weber. pag. 8: „Steht die Besorgnis in der Vergangenheit, wird auch für den Satz der Abwehr der Modus gebraucht, welcher der Wirklichkeit ferner steht.“

Atticos. Consilii enim eventus quod olim cepimus, ut in re praeterita plerumque non jam exspectatur. Itaque ne condicio quidem esse potest, ut recte Tachau (pag. 58) monet (et eam exstare particula ἄν indicat), e qua pendeat perfectio consilii. Tamen quinque locis optativo apud lyricos ἄν additum invenimus; sunt apud Archil. 109 (ὡς ἄν); Theocr. $2,_{141}$ (ὥς κα μή) quod est enuntiatum in narrationem insertum vel ut ita dicam intercalatum ut Theocr. $15,_{91}$ (mente suppleri potest imper.: scito).

Particulam κέν una cum ἄν post ὡς habemus incert. id. $1,_{125.\ 126}$ ubi irrealis qui dicitur praecedit. Nunquam particulam, ne apud Homerum quidem, post ὅπως, ἵνα invenimus, sed bis (ut ω 334) post ὄφρα: apud Mosch. $1,_{123}$ (ὄφρα κε μή) et apud Euphor. Chalc. frg. 49, quod fragmentum enuntiato prim. caret.

Ut jam paucis verbis comprehendam, quae de usu optativi in enunt. fin. invenimus, poetae lyrici prioris aetatis eum non facile admittunt. Bis solum apud Theognidem post ὄφρα invenitur, saepius apud bucolicos et apud Callimachum. Hic notandum puto, sexies eum apud Callim. inveniri et quater id quidem in uno hymno (III qui est in Dianam); etiam in enuntiatis tempor. ὅτε (ὁπότε) quinquies cum optat. conjunctum in hoc tertio hymno invenimus, nunquam in reliquis; Callimachus igitur in hoc prae ceteris hymno optativum praetulisse videtur. Poetae prioris aetatis plane optativum respuisse videntur post ὡς (semel ὡς ἄν legitur apud Archil. 109), ὅπως, ἵνα, fortasse etiam post μή (cf. Phocyl. $16,_{2}$).

Sed etiam bucolici in usurpando optativo non omnibus eum conjunctionibus adjecisse videntur. Bis solum invenitur post ὄφρα, semel post ἵνα qua conjunctione Theocritus omnino non usus est; quater post μή. Sed accuratius si spectes, omnia haec, in quibus opt. inve-

nitur, idyllia sunt talia quae numerentur inter incerta. Non puto hoc casu factum esse et etiam hac de causa carmina illa Theocrito abjudicanda esse arbitror. Exstiterunt post Theocritum viri qui eum imitabantur et optativo quem ille raro et non nisi post ὡς vel ὅπως usurpaverat, etiam alias post conjunctiones fin. utebantur. — Nunquam apud lyricos conjunctionem temporalem ἕως (ἧος) finali notione indutam habemus quam cum optat. conjunctam nonnunquam apud Homerum (ζ 80, δ 800, τ 367) invenimus.

Jam ut finem hujus capitis faciam, hoc in universum dicendum est, optativum in enuntiatis fin. ut in temporalibus procedente tempore fines suos propagavisse.

## De enuntiatis relativis.

Duo genera enuntiatorum relativorum quae conjunctivum vel optativum exhibeant, discerni posse dicit Delbrueckius: aut enim enuntiato relativo de re agi quae fiat perfecta actione enuntiati primarii; aut actionem enuntiati relativi fundamentum quasi actionis esse quae significetur enuntiato primario et hac de causa praecedere.[1])

Totam de qua disputabo materiam ita digessi, ut singulos modos eo si fieri potuit ordine servato absolverem quem Delbrueckius secutus est; primum igitur videamus, quomodo enuntiata relativa se habeant quae conjunctivo instruantur.

[1]) cf. Delbrueck. pag. 35: Entweder setzt die Handlung des Nebensatzes die des Hauptsatzes voraus, oder umgekehrt die Handlung des Hauptsatzes setzt die des Nebensatzes voraus. Mit besonderer Anwendung auf den Relativsatz: Die Handlung des Relativsatzes ist entweder das Posterius oder das Prius zu der des Hauptsatzes.

### A. de conjunctivo enuntiatorum relativorum.

Ut jam vidimus, conjunctivum habemus ubi quid profertur quod tantum sumitur, ita quidem ut exspectari possit hoc futurum esse.

Jam perscrutantes enuntiata lyricorum relativa, videmus omnia fere quae conjunctivo exprimantur, ejus generis esse quae Delbrueckius pag. 132, ut vernacula lingua utar, „priorische“ dicit et neminem fugiet, interiorem quandam cognationem intercedere inter haec enuntiata relat. et enunt. condicionalia. [1]) Enuntiata rel. alterius generis („posteriorische Relativsätze“) proxime accedunt ad rationem et formam enuntiatorum primariorum; habemus in iis ut Breyerus dicit, aut conjunctivum volentis, cui respondet in enuntiatis optativo expressis optativus optantis, cupientis, aut conjunctivum exspectantis (Conj. der Voraussetzung, Erwartung), cui respondet optativus cogitantis, sumentis, opinantis (Optativ der subjectiven Annahme). Modo illi qui voluntatem exprimit, negando particula μή, modo qui cogitationem et exspectationem exprimit, particula οὐκ inservit (Bäumlein pag. 186). Enuntiata igitur relativa quae hypothetice usurpantur, particulam μή exhibent, si iis vis negativa inest. Hypothetica dico enuntiata quae vim condicionalem exhibent (non ad certum hominem vel rem, sed ad quemlibet ex genere aliquo pertinent) ubi ὅστις idem valet atque εἴ τις, ὃς ἄν vel ὅστις ἄν idem atque ἐάν τις.

Quod ad enuntiatum primarium attinet, semper fere in eo habemus tempus primarium (praesens, fut., imper.,

---

[1]) Item res se habet apud Homerum, ubi inter 198 enuntiata rel. 171 hujus generis exempla invenimus, de qua re Delbr. pag. 50 dicit: Nach unserm Gefühl wären statt mancher Relativsätze besser Condicionalsätze gewählt, so: ξ 65, Α 230, ρ 422 etc.

optat.), quae res quomodo facta sit, jam alio loco explicavimus (cf. etiam Delbr. pag. 132).

Quodsi futurum vel simile tempus (ut imperat.) antecedit, apud Homerum semper fere particulam κὲν conjunctivo aor. additam habemus, qui vim suam ingressivam retinet cum conj. praes. sit de re duranti. Eadem est res apud lyricos, sed multo saepius quam futurum (Tyrt. $10_{,7}$; imperat. apud Theogn. 470 et 633) praesens invenimus, nunquam optativum, quem legimus apud Homerum Υ 250 = φ 75.

Jam afferamus locos ubi conjunctivum particula ἄν carentem habemus. Semper fere agitur in iis de re ut Thierschius dicit, universali, non de re certa ac definita; persaepe igitur pronomen indefinitum ὅστις usurpatum invenimus. Homericum usum dicendi talibus in enuntiatis, in quibus actio enuntiati rel. praecedit actionem enuntiati prim. (priorische Relativsätze), comparantes cum lyricorum, aliquid interesse inter eos videmus, si ad usum particulae κὲν (ἄν) spectamus. Multo saepius enim apud Homerum κὲν (perraro ἄν) conjunctivo additam habemus, quam apud lyricos. Centies enim et undetricies Homerus particulam addit, quinquies et quadragies eam omittit, lyrici contra quinquies et vicies (et semper quidem poetae bucolici, neque vero Callimachus) eam addunt, quater et tricies eam omittunt.

Praecedit in enunt. prim. praesens apud Tyrt. $12_{,16.\ 17.\ 19}$ (conj. aor. et praes.; pronomen rel. = εἴ τις), ubi Attici scriptores pedestris orationis ἄν addidissent; Tyrt. $12_{,34}$; Phocyl. 6, ubi Salmasius aliter scribit (ὅσσων πέρι), Theogn. 154 (μή). Hoc loco duas habemus enuntiationes secund., quarum prior cum ὅταν, altera quae illi plane respondet, cum ὅτῳ instituta est (omissa particula ἄν); deinde apud Theogn. 609 et 610 cum conj. praes. et aor., ubi in priore quidem versu solum A con-

junctivum praes. praebet (vulgata indicativum); Theogn. 689 et 690 (μή), ubi item in priore versu qui corruptus ad nos pervenit, conjunctivum εἴῃ vel ἤῃ restituendum puto ex optativo qui traditur εἴη. Proximo enim in versu, cujus constructio plane respondet priori, recte conj. servatum habemus. Bene hic suo loco erat, sed etiam metrum obstabat ne librarius falso εἴῃ optativi formam esse putans constructionem versus 690 optativo ex conj. scribendo aequaret cum v. 689. Apud Theogn. 746 (μή) memorandum puto, duas constructiones in unam coaluisse. Dicendum enim erat: πῶς δίκαιόν ἐστιν ἄνδρα ὅστις (ἄν) δίκαιος ᾖ, μὴ τὰ δίκαια παθεῖν; vel: ἐὰν ἀνήρ, ὅστις (ἄν) ἐκτὸς (ᾖ) ἀδίκων καὶ δίκαιος ᾖ, μὴ τὰ δίκαια πάθῃ. Sed poeta strictim dicit; πῶς ἐστι δίκαιον

ἔργων ὅστις ἀνὴρ ἐκτὸς ἐὼν ἀδίκων

. . . . . . . . . . . . .

. . . δίκαιος ἐὼν μὴ τὰ δίκαια πάθῃ.

Apud Theogn. 1006 non dubito quin probanda sit conjectura Bergkii μένῃ (vulg. ἔνι, A μένει), cum hi versus petiti sint ex Tyrt. $12,_{13-16}$, ubi libri recte conjunctivum praebent. — Apud Theogn. 1014 optimi codices recte conj. habent, reliqui indic. κατέβη. ὅστις est pro εἴ (ἐάν) τις („falls einer"); non habemus nomen in enuntiato prim. ad quod pronomen referri possit; huc praeterea pertinent loci Theogn. 1086 (μή); eadem verba legimus 1238; Sapph. $12,_{2}$; Simon. C. $5,_{20}$; Callim. $3,_{19}$ (nisi hoc potius pro indic. accipere mavis), $3,_{144}$; $4,_{7}$ (μή); $4,_{8}$.

Nonnullis locis in enunt. prim. antecedit aoristus, quem apud Homerum nonnunquam invenimus (Φ 483, ξ 61). Haec enim enuntiata sententiam continent quae etiam ad praesens vel futurum tempus pertinet, ita apud Sol. $13,_{37}$.[1]) Non recte igitur Brunckius indic. aor. hic

[1]) cf. Delbrueck. pag. 139: An einigen Stellen geht im Hauptsatze der Aorist voraus; doch sind es Erfahrungssätze, die auch für die Gegenwart und Zukunft Geltung haben.

scribendum esse conjecit. — Apud Theogn. 707, 708 tria habemus enuntiata rel. conjunctivo aor. expressa quorum tertium conj. παραμείψεται correpta vocali exhibet. Nonnulli recentiores librarii primum et alterum conjunctivum in optativum mutavisse mihi videntur qui illis post tempus praeteritum quod in enunt. prim. praecedit, usitatior erat; sed in tertia forma illud non tam facile fieri potuit; tamen optimi libri in altero saltem enuntiato rel. conjunctivum retinuerunt et etiam in primo A cod. praebet conj. Perfectum antecedit apud Sol. $13_{,28}$, ubi omnes codices in enunt. rel. praesens exhibent quod Bergkius in conj. mutavit. Affirmare non ausim, illum recte fecisse quamquam hoc loco conjunctivus ut in re plane hypothetica perbene se haberet. ὅστις enim hic vertendum est ut ἐάν τις („falls einer", cf. Theogn. 1014) neque ullum in enunt. prim. habemus verbum ad quod referri possit. Eadem quidem ex causa de qua diximus pag. 9, id est ex mutata diphthongi HI (ῃ) pronuntiatione et scribendi ratione quam inde a quarto usque ad primum a. Ch. n. saeculum valuisse inscriptiones Atticae demonstrant, hac dico ex causa fieri potuit ut erraverint librarii, ει pro ῃ scribentes, nisi errorem repetere malis ex priscis litteris quae ante Euclidem in usu fuerunt, ubi E et pro ε et pro η erat.

Hic addere mihi liceat enuntiatum quod inter interrogationes obliquas habeo: Theogn. 912—14 ubi φροντίζω praecedit; proxime accedunt ad vim et formam interrogationum obliquarum: Sapph. 36 (post οὐκ οἶδα) qui conjunctivus deliberativus vel etiam dubitativus dicitur et Theocr. $16_{,68}$ (post δίζημαι).

Sed vertamus nos ad pronomen relativum simplex ὅς, ἥ, ὅ cui nonnunquam particula proprie copulativa τε addita est.

Praesens praecedit apud Sol. $13_{,9.\ 11}$; $13_{,55}$ ubi alii

futurum coniciunt. Neque mihi illa lectio quae traditur, omni suspicione vacare videtur. Quid enim sibi vult: ᾧ συνομαρτήσωσι θεοί („vorausgesetzt, dass die Götter mit ihm gehen")? Quod nisi fieret, nemo μάντις esse posset et illud fieri jam per se intellegitur, si Dei ipsi aliquem vatem fecerunt. Potius igitur, nisi omnino de verbo ipso dubitandum est, cum Brungkio futurum scribere velim, praesertim cum in antiqua scriptura littera ο vice functus sit et litterae ο et ου et ω.

Accedunt loci Theogn. 197, 296, 396 (οὔτε, ubi alii aliter scribunt); v. 405 in enunt. primario aoristus cum infin. praes. praecedit, qui aor. ut jam aliis in exemplis vidimus, nonnunquam etiam in praesens tempus atque in universum valet, id quod hic intellegimus ex praecedenti praes. παράγει quocum aor. ille conjunctus est. Sed est aliud quod nobis memoratu dignum videtur; habemus enim hoc loco duo enuntiata rel. 405/6, quorum prius cum simplici conj., alterum cum ἄν et conj. conjunctum est. Sententiae plane eandem constructionem flagitarent. Videmus igitur, nonnunquam nullam esse apud poetas antiquos diversitatem, quod ad vim sententiae attinet, inter enunt. rel. quae ἄν omittunt et ea quae particulam admittunt (cf. Homeri θ 586 cum 547, Γ 279 c. Τ 265; cf. etiam pag. 26).

Apud Theogn. 738 solum cod. A conj. exhibet, reliqui indicativum. Praefero conj., etiam hac re commotus quod melius explicari potest quomodo ex conj. indicativus quam quomodo conjunctivus ex indic. factus sit. — Etiam Theogn. 973/4 vestigia antiquae scripturae quae ante Euclidem in usu erat, vel mutatae postea pronuntiationis et scribendi rationis manserunt (cf. pag. 9 et 58) cum codices praebeant καλύψει quod in conjunctivum mutandum est; mirum est quod hoc non fecerint librarii cum in proxima sententia 974 (ubi ex pronomine

rel. ὅν prioris enuntiati ὅς supplendum est) omnes libri recte conj. aor. exhibeant.

Apud Simon C. $5,_{11}$ plurimi libri ἄν praebent quod propter metrum admitti non potest.

Simon. C. $5,_{14}$ dubitari potest, utrum scribendus sit indic. φιλέοισιν an conj. φιλέωσιν quem praefero ut antiquo poetae magis aptum; alii aliter coniciunt.

His locis adicio Sim. C. $58,_{6}$ (μή); frgm. adesp. 143 (ὅπερ); Callim. $2,_{10}$ et epigr. $10,_{3}$ (conj. aor.)

Apud bucolicos unum exstat exemplum ubi simplicem conj. habemus: incert. id. $8,_{23}$ post οὔστε, si sequimur conjecturam Ahrensii quae mihi quidem dubitationem inicit. Si enim enuntiatum rel. spectat ad certam quandam rem vel personam et rem affert quae non quasi fundamentum est actionis quae inest enuntiato prim., indicativus usurpari solet. Ita hoc loco enuntiatum rel. nihil novi affert, sed vim solum vocis ὀλλυμένους amplius describit. Et quod quis dicat, in parabolis Homericis etiam conjunctivum usurpari, hoc solum in ea enunt. cadit quae maximi momenti sunt ad similitudinem demonstrandam quae intercedit inter parabolam et rem comparatam. [1]) (cf. Γ 60). Itaque etiam hic indicativum quem cod. habent, suo loco esse puto.— Subicio hic locum Mimnermi $2,_{16}$, ubi vulgata conj. διδῷ habet, editores contra, codicem B secuti, ionicam formam indicativi praes. scribunt, διδοῖ. Conjunctivum hic non suo loco esse editores omnes intellexerunt qui minima hic cum modestia usurparetur ab homine in re quae Diis solis curae est. (cf. Delbrueck. pag. 40, qui dicit: Es kommen in solchen Relativsätzen, welche „recht

[1]) cf. Delbrueck. pag. 45 (et 135): Der Conjunktiv individualisirt die bleibende Eigenschaft. Darum pflegt denn auch nur der wesentlichste Zug des Bildes im Conjunktiv zu stehen, die weiter ausmalenden dagegen im Indikativ.

eigentlich als innere Bestimmung eines Abstraktums zu betrachten sind" (Ausdruck Bäumleins), sowohl der Ind., als der Conj., als der Optativ vor. Der Conj, der das Geschehen fordert, erscheint weniger geeignet und ist auch selten.) Recte igitur editores indic. scripsisse puto, quod non est conjectura, sed bene explicatur ex litteratura ΔΙΔΟΙ, quam formam recentiores librarii conjunctivum διδῷ (ο = ω) esse putaverunt, cum sit ionica forma praes. ind. (cf. Bäumlein pag. 91/92 qui etiam de particula μή verba facit).

Addo locum, ubi aoristus praecedit: Theog. 216; unus codex et Athenaeus recte conj. praebent, reliqui falso futurum, quem errorem explicavimus pag. 9 et 58. Hic etiam addere velim Alcm. $38_{,2}$ ubi conj. aor. cum μή fungitur vice imperativi interdicentis.

Progredimur ad enuntiata rel. quibus particula ἄν vel κὲν addita est. Hic monendum puto, multo saepius κὲν quam ἄν inveniri (ἄν non habemus neque apud bucolicos neque apud Callimachum).

Quod ad vim hujus particulae enuntiato rel. additae attinet, viri docti non consentiunt. G. Hermannus enim [1]) tum tantum eam omitti putat cum de re certa ac definita sermo sit, ponendam esse, cum sententia generalis sit, id est in sententiis quae non ad certam quandam rem vel personam pertinent. Sane fit apud scriptores Atticos, ut in re generali conjunctivo vel potius pronomini relativo particulam ἄν addant [2]); sed tamen jam Baeumleinius docuit usu scriptorum sententiam Hermanni non probari (cf. Baeuml. pag. 216/17) et saepius supra legem illam neglectam invenimus (cf. ut exemplis utar Tyrt. $12_{,16}$; Theog. 609; Sim. C. $58_{,6}$ rel.). Dicendum igitur erit, apud poetas Homeri exempla secutos illam

[1]) Hermann: de particula ἄν, pag. 113.

[2]) cf. Weber. pag. 40: κὲ verleiht dem ὅς indefinitive Geltung.

regulam non tam certis finibus circumscriptam esse. Bene explicatur cur tam raro particula illa pronomini ὅστις addita inveniatur cum hoc pronomine ipso vis illa generalis contineatur. (cf. Delbr. pag. 51 et Baeumlein. pag. 211 qui dicit: das Relativ erscheint verallgemeinert durch die beigegebene Partikel). Sed ut supra vidimus (ad Theogn. 405/6) persaepe ne minima quidem differentia interest inter enuntiata rel. quibus particula additur et ea ubi omittitur (Baeuml. pag. 212 et 216). — Primum eos locos afferam ubi pronomini ὅστις particula addita est; sunt ii quidem perpauci: Phocyl. 6 (ἅσσ'ἄν si lectioni fides habenda est); Theogn. 470, ubi imperat. antecedit; ἄν quod metro requiritur, optimi solum codices exhibent et solum A conjunctivum, reliqui optativum; Theogn. 808 (κέν), item apud Philox. $3_{,10}$; fragm. adesp. 86 A.

Simplici pronomini rel. saepius particula addita est; primum unum locum afferam, Alcm. $33_{,2,}$ qui ejus est generis enuntiatorum quae Delbrueckius „posteriorische" nominat, si quidem recte scripserunt Hermannus, Dindorfius alii; lectio enim codicum valde incerta est. Sed libri potius conjunctivi vestigia exhibent quam optativi quem Bergkius in quartam lyricorum editionem recepit, dicens: „ἀγείραις scripsi, nam conjunctivus modus ἀγείρῃς ab instituta sententia alienus." (Sed cf. κ 539, ν 400; ι 356).

Reliqua exempla conjunctivi cum particula conjuncti sunt ejus generis ubi actio enuntiati rel. antecedit actionem enuntiati prim. (priorische Relativsätze) et vim habent generalem, cum illud exemplum alterius generis agat de re certa et singulari et vim habeat finalem.

Praesens praecedit apud Theogn. 96 (c. conj. aor. et praes.); 479; 300, ubi lectio incerta est cum unus codex (A) ὦκ' praebeat (reliqui ἦν) quod Bekkerus et Bergkius in ᾧ κ' mutaverunt.

Futurum praecedit apud Tyrt. $10,_{7}$ ubi bene conj. aor. latine per fut. ex. reddere possumus. Idem cadit in Theogn. 470, praecedente imperativo, ubi A cod. solus praebet conj., reliqui optat.; praeterea in Theogn. 633.

Theogn. 919 pendet ex infinitivo ubi item A cod. solus vestigia genuinae lectionis servavit. Vulgo legitur ὥς κ'ἐθέλοι (K pro opt. conjunctivum habet), sed requirimus ad verbum δόμεν dativum (cui detur). Recte igitur Bergkius ᾧ κ'ἐθέλῃ scripsit.

Addo Simon. C. $5,_{3}$ et frgm. adesp. 47 B; Theocr. $10,_{25}$ praecedente praesenti, et $17,_{74}$ (conj. aor.); $20,_{161}$ (conj. praes.).

Aoristus qui gnomicus dici potest, praecedit apud Theocr. $12,_{32}$ et Callim. $2,_{41}$. Apud Callimachum praeterea conj. praes. habemus in frgm. 435 (quod enuntiato prim. caret); conj. aor. $1,_{87}$; $3,_{129}$; $5,_{53}$; $5,_{103}$ praecedente praesenti; $5,_{131}$ Schneiderus pro pronom. rel. ᾧ κε adverbium correlativum ὥς scribit, cum nullo pacto dativus ᾧ apte explicari possit. Sed explicatur, si cum Wilamowitz viro docto pro ἐπινεύσῃ quod traditur distinguimus ᾧ κ' ἔπι νεύσῃ.

Restat, ut mentionem faciam nonnullorum locorum ubi pro pron. rel. adverbia, quae dicuntur correlativa vel alia pronomina correlativa habemus:

ὡς in parabola invenimus incert. id. $8,_{21}$; pronom. correl. ὁκοῖος apud Archil. $70,_{2.\ 3}$; conjunctivum in priore enunt. rel. solus Stobaeus servavit; codices omnes indic. praebent, in quo non haereremus nisi in altero enunt. sec. quod Jacobsius priori ex Platone adjunxit, conj. haberemus. Accedit quod etiam apud Homerum σ 135 quem locum Archilochus imitatur, conj. legimus.

Inter adverbia correlat. habemus ἔνθα cum conj. praes.: Theogn. 270 et Euphor. frg. 24 (ἄν); ὅπου Theogn.

922; ὅθι apud Rhian. (Stob. flor. IV 34); ᾗ (ἄν) Rhian. epigr. $3_{,2}$; ἔνθα et ὅπῃ Callim. $4_{,194}$.

## B. De optativo.

De vi et notione optativi hic non multis dicendum esse puto, cum quae sit ejus provincia, jam in iis capitibus viderimus quae sunt de enuntiatis temporalibus et finalibus.

Ut conjunctivi, ita etiam optativi duo genera Delbrueckius distinxit; actio enim enuntiati rel. aut praecedit actionem enuntiati primarii aut eam sequitur („priorische und posteriorische Relativsätze"); sed cum in enuntiatis relativis conjunctivo expressis fere semper enuntiata rel. prioris generis invenerimus, res aliter se habet in optativo ubi pro ratione numeri pauca hujus modi enuntiata rel. inveniuntur. Est in his semper, ut Breyerus dicit, optativus sumentis. Sunt hi loci apud Theogn. 734 (cf. Γ 299) ubi enuntiatum prim. votum continet (ὅστις ἐργάζοιτο = angenommen, er beginge eine (frevelnde) Handlung); item Theocr. $15_{,94}$. Apud Theogn. 800 optimi libri optat. praebent, vulgata indic. quem Bergkius (edit. IV) in conjunct. mutavit. Sed cum maxime dubitetur de omnium fere verborum scriptura et alii aliter scribant, operae pretium non est, pluribus de hoc loco dicere. — Praesens tempus ut in loco modo allato praecedit apud Mosch. $1_{,156}$ (ubi etiam conjunctivus cum κὲν usurpari posset); item tempus quod numerandum est inter primaria, praecedit apud Callim. $4_{,246}$ (opt. post τόσσα ubi Wilamowitz indic. scribit). Talis optativi post praesens usus nunquam vel perraro apud Homerum invenitur; omnes enim fere loci qui huc pertinere videbantur, aliter aut explicandi aut scribendi sunt, cum nonnunquam falsa ex scriptura pendeant.

Incert. idyll. $8_{,68}$ optativus praecedit qui potentialis dicitur.[1]) Post ὅσσον optativum habemus apud Theogn. 93, praecedente enuntiato condicionali. Pendet igitur enunt. rel. ex sententia quae mera loquentis cogitatione enata est; qua de causa optativus usurpatur (subjektive Annahme). Optativum praecedente imperfecto habemus apud Callim. $4_{,159}$; $6_{,69}$ (cum pron. ὅσσα) (cf. M 267, O 23). Optativus repetitionis exstat praeterea in carmine anapaestis conscripto Alexandri Aetol. (cf. Gellii n. Att. $15_{,20}$):

ἀλλ'ὅ τι γράψαι, τοῦτ'ἂν μέλιτος καὶ Σειρήνων ἐτετεύχει.

Adverbia correlativa habemus apud Callim. $5_{,67}$ (ὅθι, praecedente impf.); Theogn. 999 (ὅπου, praecedente optativo). Sed non plane hoc loco constat, quomodo scribendum sit.

Haec enuntiata rel. quae omnia ejus sunt generis ubi actio praecedit actionem enuntiati primarii, vim quandam condicionalem continent ut facili negotio in enuntiata condicionalia mutari possint.

Restat ut moneam, nunquam in his quos attuli locis, neque in Homeri similibus enuntiatis particulam κὲν (ἂν) optativo additam esse.

Multo major est numerus eorum enuntiatorum rel. in quibus actio sequitur actionem enuntiati prim. (Posteriorische Optativsätze). Etiam in his Delbrueck. duo genera distinguit, quorum alterum optativos optantis complectitur, alterum eos qui prope accedunt ad vim futuri (quos Delbr. [pag. 218] „abgeschwächte, mehr

---

[1]) cfr. Delbr. 222: Wenn das Eintreten der Handlung des Hauptsatzes von der möglicher Weise stattfindenden Handlung des Relativsatzes abhängig gemacht wird, so darf man wohl erwarten, dass auch die Handlung des Hauptsatzes als nur möglich hingestellt wird, dass also auch im Hauptsatz der abgeschwächte Optativ sich findet.“ Habemus multa hujus optativi exempla apud Homerum: N 117, 321; α 228, δ 222.

futurische Optative" appellat). Non distinxi inter optativos praes. et aor. cum nulla sit inter eos diversitas notionis. Optativum futuri nec apud Homerum, nec apud lyricos inveni.

Primum afferam eos locos optativi optantis qui non arctissime cohaerent cum enunt. prim.; enuntiata hic rel. persaepe proxime accedunt ad vim enuntiatorum primariorum: Plat. $2_{,3}$ (c. μή); Theogn. 820 (ἔνθα); Theocr. $5_{,18}$; $16_{,102}$; Kaibel. epigr. 119 et 397; locus dubius est in Callim. frg. 136.

Aliis in exemplis optativo quidem vis optandi inest, sed arctiore jam vinculo enuntiata inter se conjuncta sunt: Theocr. $7_{,126}$; Theogn. 350; votum in mente solum ejus qui cupit (praecedit in utroque exemplo optativus) residet nec cognosci potest, utrum eventum habeat necne (cf. Ξ 107). His enuntiatis rel. optativus potius sumentis quam mere optantis inest ut vice fere fungi videantur enuntiatorum finalium.

Transeo ad eos optativos qui usurpantur in sententiis quae animo tantum loquentis obversantur et quae utrum ratae fiant necne, plane incertum est. Quin nonnunquam ne verisimile quidem est rem fieri posse („subjektive Aeusserungen"). [1])

Primum ea exempla afferam quae particula ἄν carent: Xenoph. $2_{,9}$, cui enuntiato rel. vis finalis inest (praecedit enuntiatum condicionale optativo expressum); Theogn. 84 quod proxime accedit ad vim sententiae consecutivae (praecedit potentialis); vis quae dicitur „subjectiva" demonstratur etiam negatione μή usurpata; Theogn. 382; Theocr. $8_{,13}$ praecedente futuro, ubi item vim enuntiati consecutivi habemus („praemium quod par sit nobis et aequum"). Deteriorum librorum est hoc loco ὅ κεν quod

---

[1]) cf. Krüger I § 54. $14_{,4}$.

nonnulli in textum recipere voluerunt, sed in optimorum librorum lectione standum puto; incert. idyll. $9_{,219}$, praecedente imperfecto (cf. Baeumlein. pag. 284); pro ὅστις item atque in superiore loco ὅς κεν usurpari posset. Habemus enim hic enuntiatum primarium quod negationem continet; semper talibus in locis Homerus optativum cum κὲν (ἄν) conjunctum praebet (ω 188, E 192, O 737) excepto uno loco X 348, quocum nostrum conferre possumus.

Omnibus his in exemplis enuntiatum rel. arcte cohaeret cum enunt. prim., et pronomen rel. latina lingua verterem aut item per pron. rel. cum conjunctivo conjunctum, aut per (ita-) ut. Vim igitur eae sententiae habent finalem vel consecutivam (*beabsichtigte* Folge).

Legimus optativum praeterea post ὁππότερος apud Theocr. $20_{,84}$ ubi D cod. solus optat. praebet, reliqui conjunctivum. Cum vero praecedat aoristus, non dubito recipere optativum. Conjunctivus enim exprimeret, summa ope illos pugnantes adniti ut solem a tergo habeant. Sed voluntas adipiscendi hujus commodi non jam exstat; narratur solum quae iis eo tempore quo nitebantur, fuerit cogitatio et hac de re optativus usurpatur. Hoc exemplum nos ad ea ducit ubi optativum orationis obliquae habemus: Theocr. $1_{,77}$ (praecedit impf.). Tali optativo in oratione recta indicativus respondet. Etiam hic optativi usus apud Homerum invenitur, ut Z 177.

Hic subicio locum Simon. Amorg. $7_{,82}$ (βουλεύεται ὅπως . . .) quod ὅπως propriam hic suam vim (= quomodo) servavit. Inservit ad explicandum hunc optativum enuntiatum proxime antecedens quod mutatis paulo verbis idem vult (οὐδ'ἄν τιν' εὖ ἔρξειεν) ac noster locus (vers. 82). Jam cum hic optativum potentialem qui dicitur, habeamus, factum est ut nostro loco eandem optativi formam videamus (cf. E 85).

Addo exemplum orationis obliquae post ὡς (αἰνός ἐστιν ὡς . . .): carm. pop. $34_{,1}$.

Sed transeamus ad ea enuntiata rel. quibus particula κὲν vel ἄν addita est (cf. Baeuml. pag 315—20). Saepius particulam optativo additam apud poetas posterioris aetatis invenimus, apud bucolicos et Callimachum; Theognis contra semel eam usurpat: Theogn. 81. Unicus etiam hic est locus, ubi particula ἄν exstat cum semper alias κὲν usurpetur. Vix inter hunc locum et eos quos supra particula κὲν carentes attuli, diversitatem notionis invenire possis.

Simili modo ὅστις cum κὲν conjungitur incert. idyll. $8_{,51}$ (cf. similem locum inc. idyll. $9_{,219}$, ubi κὲν omittitur). Ex conjectura Meineckii conj. legimus apud Alcaeum 82, ubi codices indic. praebent. Sed cum quomodo legendum sit, dubitetur (alii aliter scribunt), hunc locum neglegam.

Optativum plane potentialem qui dicitur habemus apud Theocr. $7_{,100}$ (cf. Γ 235; Delbr. pag. 219, II 2 b.); $20_{,64}$; incert. id. $9_{,49}$ ubi desiderium loquentis qui illud facere optat, elucet (Debr. 218 II 1, cf. α 253, σ 166); incert. id. $8_{,76}$ qui locus proxime accedit ad vim enuntiatorum prim.

Interdum enuntiatum rel. quod optativo cum ἄν (κὲν) conjuncto exprimitur, vim finalem asciscere videtur,[1]) ut apud Callim. $1_{,17}$ ubi impf. praecedit (voluntas aquae inveniendae jam praeterita est); vim consecutivam habemus apud Callim. $1_{,65}$ ubi optativus optantis praecedit, quod Schneiderus ita vertit: „mentiar saltem quae (i. e. talia ut) audientium aures persuadeant.“ Vidimus

---

[1]) cf. Delbr. pag. 38: Bei den schon mehr abgeschwächten Optativen des Griechischen, in denen aber der Wunsch noch durchscheint, zeigt sich wie beim Conj. deutlich, dass der Relativsatz ganz nahe an den Conjunktionssatz streifen kann (cf. H 342 c. 339).

supra, talem sententiam etiam per pronomen ὅστις exprimi posse (cf. inc. id. $9_{,219}$). Optativus potentialis invenitur praeterea apud Callim. $4_{,127}$.

Pronomen indefinitum ὁπόσος κε habemus apud Xenoph. $1_{,17}$. Adverbium ἵνα (κεν) relative usurpatum est inc. idyll. $9_{,61}$ (cum opt. potent.: „ubi nos dominum inventuros spero); ὥς κε apud Theocr. $12_{,14}$.

Jam ad finem pervenimus dissertationis quam instituimus de enuntiatorum rel. modis conj. et optat. Vidimus in iis quae supra diximus, optativum procedente tempore fines suos protulisse, idque potissimum cum damno conjunctivi. Multo saepius enim optativum apud poetas posterioris quam prioris temporis in usu fuisse invenimus; ita, ut exempla afferam, Theognis poeta prioris aetatis circiter quinquies et vicies conjunctivum, c. novies optativum, contra bucolici sexies conjunctivum, septiesdecies optat. usurpaverunt. Callimachus contra, ut in aliis rebus etiam hac in re magis inclinat ad rationem poetarum prioris aetatis cum terdecies vel quaterdecies conjunctivo, c. septies optativo utatur.

Si omnio ad originem vel antiquissimum optativi usum redimus, eum procedente tempore alia etiam munera suscepisse videmus, ut conjunctivi et indicativi. Conjunctivi enim munus suscepit, si in enuntiato primario habemus optativum (cf. ea quidem quae de assimilatione modorum diximus pag. 51). Habemus ejusmodi exempla (ut apud Homerum Γ 299 Ξ 107) apud Theogn. 734, 999, Xenoph. $2_{,9}$, incert. id. $8_{,68}$; deinde si tempus primarium enuntiati prim. transit in tempus historicum. Aptus est optativus ad exprimendas sententias quae jam sunt praeteritae, ea de causa quod cognatio quaedam intercedit inter optativum et tempora historica, quippe quae quod ad formam attinet, in easdem litteras exeant (conjunctivus contra similiter cadit

ac tempora primaria); accedit quod optativo qui minus urget eventum, res exprimuntur quae per se minus sunt certae ac definitae. Exempla ejusmodi optativi habemus apud Callim. $4,_{159}$; $5,_{67}$; $6,_{69}$; incert. id. $9,_{219}$).

Nonnunquam etiam indicativi partes optativus suscepit, id quod potissimum fit, si oratio recta transit in orationem obliquam, cujus rei exemplum habemus apud Theocr. $1,_{77}$.

Vim optativi primam ac propriam et ut ita dicam nativam habemus in iis exemplis quae continent vel optativum voti (qui particula ἄν caret), cujus exempla supra conferas, vel optativum potentialem (cui particula addita est), cujus exempla habemus Xenoph. $1,_{17}$; Theocr. $7,_{100}$, $20,_{64}$ rel.).

Mihi in animo erat, tractatis enuntiatis temporalibus, finalibus, relativis addere enuntiata condicionalia; sed magna est provincia sententiarum hypotheticarum et finem faciam hujus dissertationis, ne hic libellus in libri magnitudinem crescat, hac lege ut postea occasione oblata proferam quae de enuntiatis condicionalibus ex poetis lyricis conquisivi et contuli.

# Vita.

Natus sum Jacobus Schaub a. d. V id. Jan. a. h. s. LXI in oppido haud longe a Basilea sito, cui nomen est Liestal, patre Joh. Jacobo quem anno abhinc mortuum esse valde doleo, matre Katharina adhuc viva e gente Leutenegger. Fidem profiteor evangelicam. Primis litterarum elementis in scholis oppidi imbutus ab anno h. s. LXXVII gymnasium Basileense frequentavi quod paedagogium appellabatur; anno h. s. LXXX testimonium maturitatis adeptus et civibus academicis universitatis litterarum Basileensis adscriptus, ut et philologiae et historiae studiis initiarer, scholis interfui vv. ill. Maehlyi, Wackernagelii, J. Burckhardtii, Vischerii, Mistelii, Heynei al. Duo post annos Lausoniam me contuli ut studiis philologicis operam darem et linguae francogallicae. Sed paulo post litterarum universitatem Fridericiam Guilelmam Berolinensem petivi ubi per bis sex menses praeceptoribus usus sum vv. ill. Curtio, Kirchhoffio, Vahlenio, Mommsenio, Wattenbachio al. Postea denuo a. h. s. LXXXIII Basileam adii eo consilio ut praeceptor domesticus factus studia mea examine absolverem. Sed priusquam hoc fieri potuit, occasione oblata magistri munus suscepi et inde ab anno h. s. LXXXVI in urbe Tugio litterarum ludo praefui. Sed patris post mortem domum reversus et paulo post a pagi nostri gubernatoribus magister creatus paucos abhinc menses disciplinae operam do in villa, cui nomen est Therwil.

Seminarii philologici sodalis eram per quinque semestria. Omnibus illis qui de me optime meriti sunt, viris clarissimis summas gratias ago.

## Errata!

pag. 9 (vers. 24) pro ὅππότ legas ὁππότ'.
„ 10 (in adnot.) et 13 (vers. 33) pro pag. 39 legas pag. 37.
„ 15 (vers. 26) pro et extu leg. e textu.
„ 25 ( „ 4) „ ἵτα legendum ἵνα.
„ 25 ( „ 12) „ pag. 37 leg. pag. 35.
„ 25 ( „ 15) „ protest leg. potest.
„ 28 ( „ 1) „ quad leg. quae.
„ 33 ( „ 17) „ vem leg. rem.
„ 38 extr. „ pracedunt leg. praecedunt.
„ 42 (vers. 23) „ ἐτάρπόμην leg. ἐταρπόμην.
„ 45 ( „ 11) „ este leg. esse.
„ 52 ( „ 1) „ hic leg. hi.